MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80514-16

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

THIELMANN, PHILIPP

TITLE:

DE SERMONIS PROPRIETATIBUS QUAE...

PLACE:

ARGENTORATUM

DATE:

1879

Master Negative #

92-80514-16

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books      FUL/BIB   NYCG92-B11798           Acquisitions     NYCG-PT
FIN ID MIUG89-B56186 - Record 1 of 1 - Record added today

 ID:NYCG92-B11798             RTYP:a    ST:p    FRN:    MS:   EL:1      AD:02-20-92
 CC:9124   BLT:am     DCF:     CSC:d    MOD:    SNR:          ATC:      UD:02-20-92
 CP:gw       L:lat    INT:     GPC:     BIO:    FIC:0         CON:
 PC:s       PD:1879/           REP:     CPI:0   FSI:0         ILC:      II:0
 MMD:       OR:    POL:    DM:     RR:          COL:          EML:      GEN:   BSE:
 040      NNC‡cNNC
 100 1    Thielmann, Philipp.
 245 10   De Sermonis proprietatibus quae leguntur apud Cornificium et in primis
          Ciceronis libris‡h[microform].
 260      Argentoratum,‡bTruebner,‡c1879.
 300      113 p.‡c23 cm.
 502      Inaug.-diss. - Strasburg.
 600 10   Cornificius, Quintus.
 630 00   Rhetoric ad Herennium.
 LDG      RLIN
 QD       02-20-92
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 3-26-92 INITIALS M.D.C.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

ho·6

DE SERMONIS PROPRIETATIBUS QUAE LEGUNTUR APUD CORNIFICIUM ET IN PRIMIS CICERONIS LIBRIS

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

PHILIPPUS THIELMANN

CAESAREA-LUTRENSIS

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER.

MDCCCLXXIX.

Ex quo viri docti priscorum scriptorum latinorum sermoni accuratius cognoscendo operam dederunt, quomodo per singulas aetates lingua latina progressa sit et exculta, diligentius quaerere coeperunt. Solent igitur nunc singulos scriptores non ipsos neglectis aliis contemplari, sed simul investigare, qua ratione singuli inter se cohaereant quibusve de causis hoc vel illud in lingua mutaverint. Itaque his demum temporibus historica quam vocant grammatica coepta est condi.

Ac formae quidem vocabulorum ne prisca quidem aetate multum distant ab iis, quae postea in usu erant: quae cum Sullae fere temporibus accuratius constitutae essent, per multa saecula usque ad exitum imperii Romani fere eaedem manserunt; contra et syntaxi et verborum thesauro et vocabulorum formatione singulae aetates plurimum inter se distant. Atque cum syntaxis quidem parum exculta apud priscos scriptores, nimiis artificiis saepe exsanguis et languida in argentea latinitate fuisse videatur, ex aureae aetatis scriptoribus praeter ceteros Ciceronem linguam latinam elegantissimam et ad complura scribendi genera expeditissimam effecisse constat. Nec tamen omnia Ciceronis scripta eadem insignia sunt sermonis perfectione. Primum enim cum inter singula scriptorum genera magna intercedat differentia, tum epistulae, quarum sermo saepissime ad vulgarem dicendi usum descendit, proprium et singularem obtinent locum. Deinde cum Cicero sermonem per singulas vitae partes paulatim et gradatim ad eam quam vulgo admiramur elegantiam provexerit, in iis libris, quos primos scripsit, permulta admisit, quae in posterioribus frustra quaeras. Quos cum admodum iuvenis

composuerit, putandus est et in rebus et in sermone multis modis pendere ex aliis scriptoribus. Inter omnes autem, qui illo tempore de arte rhetorica scripserunt, nemo tantam adeptus est auctoritatem quantam Cornificius, cuius *rhetorica ad Herennium* quam arta cognatione cohaereant cum Ciceronianae artis rhetoricae *de inventione* libris neminem fugit.

Itaque quae ratio intercedat inter Cornificii et Ciceronis sermonem, accuratius disquiramus. Diligentius autem eos tantum perquisivimus libros, quos primos publici iuris fecit Cicero: dico libros de inventione non multo post a. u. 669 ut videtur compositos, orationem pro P. Quinctio anno 673 habitam, orationem pro Sex. Roscio Amerino anno 674 habitam; nam cum post orationem Roscianam Cicero per aliquantum temporis in Graecia et in Asia minore (annis 675—677) arti rhetoricae accuratius cognoscendae operam navarit, inde ab hoc tempore sermonem Ciceronianum multo esse elegantiorem multoque puriorem consentaneum est. Attamen Cicero in primis quoque quos post reditum ex Asia conscripsit libris non pauca ex iis admisit, quae postea ipse improbavit; sensim enim et pedetemptim ad eam provectus est perfectionem, quae paulo ante orationes Philippicas in orationibus praecipue apparet.

Praeterea cum stili, quem scriptor aliquis adhibet, proprietas non tam iis efficiatur, quae admiserit, quam iis, quae consulto evitaverit, in hac quaestione non solum ea afferemus, quae communia habet Cicero cum Cornificio; immo ex iis, quae improbavit ille, quanto elegantior et purior in ipsis primis libris Ciceronianus sit sermo, praecipue cognoscitur.

Ex libris, qui in hoc opusculo conficiendo summo mihi fuerunt adiumento, primo loco commemoranda est Eduardi Woelfflini commentatio, quae inscribitur *Zum Vulgaerlatein* (in Philol. Gotting. vol. XXXIV pag. 137 sqq.). In hac scriptione vir doctissimus sermonis vulgaris illustrandi causa cum ex aliis aliorum scriptorum libris permulta affert exempla tum ipsarum pro Quinctio et pro Roscio orationum rationem habet inde a pag. 142 sqq. Item ex nova *Antibarbari* Krebsiani editione, quam Allgayerus curavit, haud pauca addere licuit.

Cum autem iam perscripsissem hunc libellum, oblatum mihi est volumen prius *actorum seminarii philologici Erlangensis* ab I. Muellero et E. Woelfflino editorum. Ex iis quae in hoc volumine continentur scriptionibus ad similem atque ego tractavi materiam pertinet diligens H. Hellmuthii commentatio *de sermonis proprietatibus, quae in prioribus Ciceronis orationibus inveniuntur* (I. 1. pag. 101 — 174) et accuratus A. Koehleri libellus *de auctorum belli Africani et belli Hispaniensis latinitate* (pag. 367 — 471). Post Hellmuthium eandem materiam retractavit G. Landgraf, *de Ciceronis elocutione in orationibus pro P. Quinctio et pro Sex. Roscio Amerino conspicua*, ita tamen, ut intra artiores sese contineret fines. Reliquos quibus usus sum libros suo quemque loco nominabo.

Restat, ut summas gratias agam Guilelmo Studemund praeceptori meo, qui et in scholis Argentorati habitis multa ad quaestiones a me tractatas pertinentia tetigit et in toto hoc libello perficiendo et consilio et re me adiuvit, et Carolo Eduardo Georges lexicographorum principi, qui praecipue ex posteriorum aetatum scriptoribus largam exemplorum segetem ad capita I et IV pertinentem benignissime mihi suppeditavit, nec non Eduardo Woelfflin, qui complura exempla a se collecta mecum communicare voluit. Novam Ciceronis librorum de inventione editionem, quam nuperrime Andream Weidner curasse audio, nondum vidi.

Caput I.

A. De verborum copia.

§ 1.

Composita adhibentur pro simplicibus.

Colligentibus ex Cornificio et ex primis Ciceronis scriptis vocabula ea, quibus postea Cicero et qui eum secuti sunt

scriptores optimi abstinuerunt, simul in animo nobis est investigare, quibus causis ductus Cicero hoc vel illud vocabulum aut omnino reiecerit aut raro adhibuerit. Praeterea quae ex aureae aetatis scriptoribus apud Caesarem, Nepotem, Sallustium inveniuntur exempla omnia afferemus; item si qua vox in prisca latinitate vel apud posterioris aetatis scriptores legitur, diligenter commemorabimus.

Qui Ciceronis aetate id sibi habebant propositum, ut ad certas regulas certaque praecepta linguam latinam, qualis tunc erat, excolerent et perpolirent, ab initio nihil aliud faciebant, nisi ut quaecumque minus apta viderentur ex sermone suo reicerent. Et Cicero adulescentulus cum libros de inventione scribere inciperet, multa deprehendit vocabula, quae nullo significationis discrimine inter se differre viderentur. Huc pertinent inprimis multa *vocabula composita*, in quibus iam tunc praepositionis vis adeo erat debilitata, ut qua ratione eorum significatio distaret a verbo simplici, non iam perspiceretur. Itaque cum in sermone plebeio, qui nimia quadam dicendi copia delectatur, eiusmodi multa in usu essent vocabula composita, mirum non videtur, quod Cicero vulgaris sermonis illa propria esse ratus in suos libros verbum simplex solum recepit. Veluti ex aurea sermonis aetate exclusa sunt *addecet condecet*, receptum est unum *decet*; item *consimilis* adiectivum, cum praeter *similis* non necessarium esse videretur, in aureae aetatis prosa oratione raro adhibebatur. Nec tamen omnia verba composita, quae eandem quam verbum simplex haberent significationem, potuisse excludi ex sermone eleganti ore consentaneum est, cum praesertim quo maior fieret varietas et perspicuitas orationis, saepe in hoc opus esset pluribus vocibus idem significantibus. Itaque cum Cicero vocabula synonyma coacervare soleret, remanserunt *approbo comprobo* similia. Praeterea unius rhetoricae quam vocant concinnitatis causa Ciceronem verbis quibusdam compositis, quae aliis locis non adhibuit, interdum usum esse demonstrabimus. Deinde quod complura verba composita, velut *adiuvo consolor*, multo saepius leguntur apud probatissimos prosae orationis scriptores quam simplicia *iuvo solor*, iure concludere licebit

eo ipso tempore, quo Cicero aliique linguam perpolire inceperint, verborum illorum compositorum usum adeo fuisse pervulgatum, ut non sine maximo impedimento verba simplicia eorum munus susceptura fuerint.

Quid egerit Cicero in lingua constituenda, planius cognoscetur, si quae diximus exemplo illustraverimus. Cum enim libros de inventione incoharet, praeter verbum simplex *augere* duo ei praesto erant composita, quorum alterum *adaugere* significat *augendo aliquid addere ad aliquid quod exstat*, alterum *exaugere* significat quasi *funditus augere*. Itaque cum quam vim haberet praepositio, planius ac facilius perspiceretur in priore verbo composito quam in altero, Cicero ubi primum libros scribere coepit, *exaugendi* verbum omnino abiecit et ne in posterioribus quidem scriptis umquam restituit, alterum autem *adaugere* in primis quos composuit libris nonnumquam, contra in posterioribus admodum raro adhibuit. De tribus igitur illis verbis ad extremum nullum ei superfuit nisi verbum simplex *augere*. Apud Cornificium verba duo composita inveniuntur ita, ut apud ipsum quoque *adaugere* saepius legatur quam *exaugere*: *adaugere* Corn. II, 25, 39. 30, 47. III, 2, 2. 11, 20. 14, 25. IV, 33, 45; *exaugere* II, 29, 46. IV, 13, 19. 24, 34; apud Ciceronem *adaugere* inv. I, 3, 4. II, 18, 55. 25, 75. 33, 101. Rosc. Am. 11, 30; in reliquis omnibus orationibus auctore Merguetio (in lexico orat. Ciceron.) omnino semel legitur: post red. in sen. 36; praeterea acad. post. I, 5, 21.

Duo illa verba composita iam apud priscos poetas leguntur: *adaugere* Plaut. Stich. 2, 2, 62. Ter. Heaut. 3, 1, 26; *exaugere* Pl. Stich. 2, 1, 32. Enn. ann. 290 V. Ter. Heaut. 2, 2, 3. Apud aureae autem aetatis scriptores idem fere illis accidit quod apud Ciceronem; *exaugere* enim, quod ex huius aetatis scriptoribus unus Lucretius 5, 611 admisit, apud posterioris demum temporis scriptores, velut apud Symmachum ep. 1, 27 et apud Eucherium ep. paraen., denuo reperitur. *Adaugendi* autem verbo nonnulli aureae aetatis scriptores interdum utuntur, velut Caesar b. civ. 3, 58; item auct. b. Alex. 12: auct. b. Afr. 1, 5, quem utrumque a sermone vulgari non nimium

abesse constat; ex poetis Lucretius 2, 564. 6, 508; postea Livius 10, 23, 6; Vitruvius (sexies: cf. indicem Nohlii); Plin. paneg. 22 (pag. 335, 20 ed. Keil); Gai. dig. XL, 4, 57; Callistrat. dig. XXVII, 1, 17 § 2; cf. etiam inscriptio Tergestina a De Vitio in lexico commemorata et Vulg. 2 reg. 24, 3, Luc. 17, 5 et gloss. Labb. *adaugeo αὐξάνω.* Contra quaecumque sive verba sive nomina derivata sunt a verbo primitivo *adaugere* omnino non inveniuntur in aureae aetatis oratione prosa, velut *adauctare* Acc. praet. vers. 14 pag. 283 R: cf. gl. Labb. *adauctagit ηὐξήθη* (*adauctavit* corr. Ribbeck trag. fragm. coroll. pag. LXXII); *adaugesco* Cic. div. I, 7, 13 in loco ex Arati prognosticis verso (cf. Cic. ed. Baiter-Kayser vol. XI pag. 123); Lucr. 2, 296; *adauctor oris* Tertull. de testim. an. 2; *adauctu* Lucr. 2, 1122[1]); *adaugmen* Lucr. 6, 614.

Restat ut nominatim proferamus ex Cornificio et ex primis Ciceronis scriptis ea verba composita, quae cum a verbi simplicis significatione nihil differre viderentur, a Cicerone postea et ab iis qui Ciceronem secuti sunt scriptoribus ex sermone urbano exclusa sunt. Composita sunt verba illa ad unum omnia cum praepositionibus *ad cum de.* (Cf. Stinner. *de eo quo Cicero in epistulis usus est sermone*, Oppeln. 1879, pag. 18 sq.; Woelfflin l. l. pag. 160; Hellmuth act. Erl. I pag. 125 sqq.).

a) *Ad.*

1) *Adcuro*, cuius verbi formae finitae magis comicorum poetarum sermonis et humilioris prosae orationis propriae videntur esse; leguntur enim apud Plautum saepe (cf. indicem Naudeti); Ter. And. 3, 2, 14. Hec. 5, 1, 12; Afran. 183 pag. 187 R (ex coni. Ribb.; libri praebent *occurro*); apud Ciceronem bis inveni inv. I, 34, 58 *melius adcurantur quae consilio geruntur,* et in loco quem ex Ciceronis Oeconomico laudat Colum. praef. l. XII, 2 *cum victus — sub tecto adcurandus erat* (Baiter-Kayser XI pag. 51, 6 sq.); cf. tamen quae Baiterus adnotavit ad fragmenta Ciceronis apud Columellam servata ib. pag. 56: *Columella . . . passim et ordinem sententiarum immutat et Tullianis verbis sua substituit.* Cum vero Xenophontis Oeconomicus a Cicerone adulescente viginti fere annorum translatus sit neque alibi apud Columellam *adcurandi* verbum invenerim, in loco supra laudato *adcurare* ad ipsius Ciceronis sermonem pertinere verisimile est. *Adcurandi* verbum postea legitur apud Apul. apol. 87 (ex coni. Hildebr.; libri *accusari*); Lamprid. Heliog. 31[1]); Iuliani epitom. nov. 79 § 301; gl. Labb. *accuro ἐπιμελοῦμαι.* Cf. Krebs-Allgayer, Antibarb. pag. 64 sq.

2) *Adsolere* adhibetur, ut ait de Vit, plerumque impersonaliter vel in tertia persona singulari et plurali praesentis temporis. Ac personalem structuram habes locis his: Pl. Epid. 1, 1, 5. Pers. 5, 1, 7; Ter. And. 3, 2, 1; Cic. inv. II, 42, 122 *deinde quae adsolent*; Liv. 5, 52, 16. 40, 54, 8; Ennod. paneg. Theod. 7; Arnob. 7, 24 pag. 258, 1 R; Veget. r. mil. 3, 1 pag. 65, 8 Lang. 3, 22 pag. 112, 13. 4, 37 pag. 153, 3. 4, 40 pag. 158, 13. Saepius usurpatur constructio impersonalis eaque certa una prolata formula *ut adsolet*, quae in sacerdotum sermone sollemnis fuisse videtur: cf. Cic. leg. II, 9, 21. Lael. 2, 7. Phil. 2, 33, 82; Liv. 1, 28, 2. 5, 16, 11. 23, 31, 15. 32, 1, 9. 33, 26, 6. 37, 14, 5; Tac. hist. 2, 6. ann. 1, 24. 3, 1. 6, 12 (cf. etiam 13, 44 *ut adsolet in amore et ira*); Suet. Ner. 7. 34. Vesp. 7; auct. tract. *de singular. cler.* 26 (Hartel Cyprian. III pag. 202, 18); cf. praeterea Liv. 34, 44, 2; Augustin. conf. 8, 5. Ceterum cf. Woelfflin *Liv. Kritik* p. 28; Madvig ad Cic. fin. 5, 1, 1; Anton *Studien* 2, 104; Maur. Mueller ad Liv. 1, 28, 2.

Adicimus 3) *adpromitto*, quo in verbo praepositio suam retinet vim, qua significat *ipsum aliquid praeter alios promittere*; omnino semel legitur apud Cic. Rosc. Am. 9, 26 *cumque id ita futurum T. Roscius Capito — adpromitteret*; substantivum *adpromissor* iurisconsultorum sermonis est: Pompon. dig. XLV, 1, 5 § 2; Ulp. ib. XXIV, 3, 64 § 4 et XLVI, 3, 43; cf. Paul. ex Festo pag. 15 M *adpromissor est, qui quod ⟨quis⟩ suo nomine promisit, idem pro altero quoque pro-*

[1]) Apud Solinum 23, 22 pag. 121, 3 M, ubi vulgo ferebatur *adauctus eius*, nunc Mommsenus *ad auctus eius* edidit.

[1]) Apud Apic. 1, 24, ubi vulgo ferebatur *ante accuratas*, nuper Schuchius restituit *antea curatas*.

mittit; saepius leguntur apud Ciceronem *compromitto* et *repromitto* (Woelfflin pag. 143. 161).

b) *Cum*.

1) *Cohonesto* Acc. 445 pag. 193 R *conestat* (ex coni. Luciani Mueller de re metr. 253): Cic. Quinct. 15, 50 *ad exsequias cohonestandas*. Verr. II, 2, 69, 168 (quo loco *cohonestare* respondet sequenti *comprobare*). de domo 31, 81. fam. 13, 11, 3; auct. orat. »pridie quam in exilium iret« § 30 (quo loco *cohonestastis* respondet sequenti *conservetis*); Liv. 25, 16, 17. 38, 47, 3; Plin. n. h. 22, 13 (15), 34; Tac. ann. 3, 76, 7; Apul. de dogm. Plat. 2, 23 p. 99, 11 Goldb.: Arnob. 5, 23 pag. 191, 10 R. 5, 39 pag. 209, 6. 5, 43 pag. 211, 27; Pacat. paneg. 20, 2 p. 288, 23 Baehr.: cf. etiam Dirkseni Manuale s. v. et Orelli inscr. 5037.

2) *Conlocupleto* his tantum locis legi: Ter. Heaut. 2. 3, 17; Corn. II, 18, 28 *rei honestandae et conlocupletandae causa*, II, 29, 46 *ad exaugendam et conlocupletandam argumentationem*.

3) *Commetior* Pl. Most. 3, 3, 8: Cic. inv. I, 26, 39 *nam saepe oportet commetiri cum tempore negotium*, id. Tim. 9. 29; Colum. 5, 1. 2.

4) *Commiseror* Corn. IV, 55, 69 *in amplificanda et commiseranda re*; Cic. Arat. 191. divin. Caecil. 14, 46; auct. orat. »pridie quam etc.« 21; Nep. Ages. 5. 2: Quintil. 11, 3. 58; Gell. 5, 14, 19; activum *commisero* est apud Acc. 355 pag. 182 R; substantivum *commiseratio* rhetoricae artis proprium apud Corn. Cic. Quintil.

5) *Concelebro* Pl. As. 2, 2, 45. Cas. 4, 3, 2. Pseud. 1, 2, 32; Afran. 103 pag. 178 R. id. 262 pag. 197; Lucil. XXX, 7 pag. 118 M; Cic. inv. I, 3, 4. II, 23, 70. leg. Man. 21, 61; Q. Cic. pet. cons. 11, 44. 13, 50; Caes. bell. civ. 3, 72; Lucr. 1, 4. 2, 345. 5, 1379; Tibull. 1, 7, 50; Ovid. fast. 4, 354; Liv. 1, 9, 7. 8, 7, 22; Plin. n. h. 34, 2 (4) § 9 (ubi Detlefsen *celebrante* scribit); Auson. edyll. 1, 9 pag. 151 Bipont.; Dict. Cret. 1, 23 pag. 17, 21 Meister; Claudian. de rapt. Pros. 59.

6) *Concredo* Plaut. (septemdecim loci enumerantur in indice Naudeti); Lucil. 28, 24 pag. 99 M; Cic. Quinct. 20, 62 *cui tu famam tuam commendare — et concredere solebas*, Rosc. Am. 39, 113 *cui — fortunae vivi commendatae sunt atque concreditae*; his igitur duobus locis Ciceronianis *concredo* rhetoricae concinnitatis causa positum est, ut responderet praecedentibus verbi *commendare* formis (de iis verbis, quae postea apud Ciceronem *concredendi* munere funguntur, cf. Hellmuth act. Erl. I pag. 127). Praeterea vid. Catull. 61, 213: Verg. Aen. 10, 286; Hor. sat. 2, 6, 43; Prop. 1, 10, 11; Hygin. fab. 82 pag. 82, 16 Schm.; Colum. praef. I, § 4. 3, 1, 7; Sil. Ital. 5, 523; Solin. 9, 15 pag. 73, 6 M.

7) *Condisco*, cuius verbi significatio principalis nec debilitata *simul cum aliquo discere* legitur apud Apul. Flor. 4, 18, deminuta vi, ut nihil differat a verbi simplicis notione, invenitur apud Pl. Curc. 1, 3, 4. 4, 3, 2. Poen. 3, 1, 11. Pseud. 4, 1, 35; Cic. Quinct. 3, 12 *nisi ut in tua pecunia condisceret, qui pecuniae fructus esset*, Planc. 5, 13 (quo loco cum praecedat *consequare*, rhetoricae concinnitatis causa positum videtur *condiscas*); praeterea apud Hor. carm. 3, 2, 3. 4, 11, 34; Ovid. Her. 4, 25; Colum. 3, 10, 16. 4, 15, 3. 7, 3, 19; Plin. n. h. 21, 5 (11), 23; Sil. Ital. 7, 462; Quintil. 1, 9, 2; Plin. ep. 7, 21; Suet. Ner. 20; Auct. carm. de fig. 95; Apul. Flor. 2, 15; Novatian. de trin. 3; Vopisc. Aurel. 1, 7; Veg. r. mil. 1, 3 pag. 7, 11 L. 1, 10 pag. 14, 3. 1, 18 pag. 20, 4. 1, 21 pag. 24, 1. 1, 28 pag. 29, 9. 2, 23 pag. 56, 10; cod. Theodos. 1, 12, 2; gl. Labb. *condiscit* μελετᾷ.

8) *Consaucio* Corn. IV, 19, 26 *celeri corpus volnere consauciari videtur*; Suet. Aug. 20. Ner. 26; Veget. r. mil. 1, 17 pag. 19, 14 L; Arnob. 7, 17 pag. 251, 21 R; Hegesipp. 4, 11; Ambros. de off. 1, 2, 6 Cf. etiam *convulnero*, Koehler. act. sem. Erl. I p. 382.

9) *Conservo* Corn. I, 9, 15 *rerum ac temporum ordinem conservabimus*, [contra Cic. inv. 1, 20, 29 *rerum ac temporum ordo servabitur*]; item *conservare ordinem* Cic. ad Attic. 6, 1, 1, sed *ordinem servare* Liv. 26, 51, 5. Caesar solet dicere *servare ordines*, semel (b. civ. 3, 93) *conservare ordines*: Livius dixit *ordines servare* 8, 34, 10. 24, 48, 11. 30, 35, 6. 42, 64, 10. Haec mihi benigne suppeditavit Woelfflinus.

10) *Constupro* Corn. IV, 8, 12 *in eis qui ingenuum — constuprassent.* IV, 39, 51 *liberi — ante pedes constuprantur*; Cic. Att. 1, 18, 3; Q. Cic. pet. cons. 3, 10; Liv. 29, 17, 15; Hygin. fab. 134 pag. 114, 12 Schm.; Curt. 10, 1, 5; Suet. Tib. 41. Vitell. 12; Tertull. de spect. 27. apol. 15. ad nat. 1, 10. idolol. 1; Aur. Vict. Caes. 33, 12; Lamprid. Commod. 5; Hieron. adv. Iovinian. 2, 9; Paulin. Nolan. de Bened. patriarch. 1, 2, 2; Vulg. Ierem. 2, 16; cf. etiam *constuprator* Liv. 39, 15, 9; *constupratio* Arnob. 2, 42 pag. 82, 21 R (ex coni. Reifferscheidii; cod. praebet *comparatione*); Pelag. apud Augustin. c. Pelag. 3, 17, 31; Firm. math. 8, 30 (ex Useneri emendatione); Sulp. Sev. ep. 2 ad Claud. 11.

11) *Contabesco* Pl. Merc. 1, 2, 92; Corn. 4, 15, 22 *o perfidiosae Fregellae, quam facile scelere vestro contabuistis*: Cic. Tusc. 3, 31, 75; Val. Max. 4, 7 in. p. 202, 15 H; Vulg. (quinquies): Augustin. serm. 38, 7; Boeth. cons. phil. 2 pros. 2 extr.; cf. etiam *contabefacio* Pl. Pseud. 1, 1, 19.

Substantiva collegi haec:

12) *Collaudatio*, cuius verbum primitivum *collaudare* saepe legitur apud optimae notae scriptores, non plus quattuor repperi locis: Corn. II, 9, 13. 10. 15; Cic. inv. II, 43, 125, ubi Ciceronem Cornificii locos ante oculos habuisse veri simile est (idem dixit *laudatio* inv. II, 50, 150); Vulg. psalm. 32, 1; cf. etiam *collaudator* Augustin. conf. 4, 14; *collaudabilis* Prudent. Hamartig. 694.

13) *Consuasor*, idem quod *suasor*, semel legitur apud Cic. Quinct. 5, 18: verbum *consuadere* quinquies est apud Plaut. As. 2, 1, 13. Merc. 1, 2, 32. Mil. 4, 8, 9. Trin. 2, 4, 126. 3, 2, 46; cf. Antibarb. p. 281.

Ex adiectivis huc pertinet:

14) *Consimilis* Pl. Amph. 1, 1, 287. Bacch. 3, 3, 50. Capt. 1, 2, 7. 1, 2, 14. Men. 5, 9, 4. Mil. 3, 2, 8. Poen. 4, 2, 2; Ter. Eun. 3, 5, 38. Heaut. 1, 2, 35. 2, 4, 2. 2, 4, 13. 5, 3, 17; Acc. 406 pag. 188 R; Afran. 135 pag. 182 R. 397 pag. 215; Corn. IV, 34, 45; Cic. Arat. 165. inv. I, 17, 24. de or. I, 33, 149. III, 7, 25. Phil. 2, 13, 28; Caes. b. gall. 2, 11. 5, 12. 6, 27; Lucr. saepissime [1]; Varr. Atac. chorogr.

I, 5 pag. 263 Riese: Ovid. Pont. 3, 7, 3. 4, 3, 23; carm. Priap. 37, 12 Buech.; Hygin. fab. 14 pag. 50, 4 Schm., id. fab. 276 pag. 152, 15; Vitruv. 2, 6, 1 pag. 42, 18 Rose; Valer. Max. 1, 8 ext. 10. 2, 7. 15. 2, 9, 2. 7, 3, 6. 7, 3 ext. 7 (et saepius?); Quintil. 9, 3, 102; Tac. ann. 3, 13; Front. de orat. 1 pag. 158, 15 Naber; Gell. 2, 17, 6. 14, 3, 8. 15, 9, 9; Tertull. adv. Marc. 5, 14. adv. Iud. 9, 14; Ulp. dig. XXXIV, 2, 23 § 2; cod. Theodos. 6, 9, 2 § 1; Cyprian. ep. 39, 4 pag. 584, 9 H; Vit. Cypr. 3 pag. XCIII, 21 H; Arnob. 3, 5 pag. 115, 11 R. 4, 15 pag. 153, 1. 5, 27 pag. 198, 24. 6, 22 pag. 233, 14. 7, 2 pag. 238, 18; Symmach. orat. pag. 7 M; Vulg. gen. 41, 39; 3 reg. 7, 37; 2 Macc. 4, 16. Adverbium *consimiliter* habent Gell. 6, 16, 12. 11, 5, 8. 17, 9, 7; Arnob. 1, 37 pag. 24, 28 R; Vigil. ep. 2 n. 6; *consimilare* August. de civ. dei 2, 10; Fulgent. myth. 3, 5 et plures scriptores christiani.

c) *De*.

1) *Deiuro* CIL I n. 198, 19 pag. 59; Gell. 1, 3, 20. 11, 6, 1. 5. Saepius legitur forma correpta *deiero* Pl. Cas. 3, 5, 37. Men. 5, 2, 63. Rud. 5, 2, 49; Ter. Hec. 5, 2, 5. Eun. 2, 3, 40; Lucil. XXIX, 66 pag. 111 M; Corn. IV, 49, 62 *clamat et deierat*; Varr. l. l. 5, 10 § 66; Epist. Corneliae apud Nep. fr. 28 ed. Halm (pag. 123, 8); Mela 1, 8, 8; Suet. Cal. 24. 27; Gell. 4, 20, 9. 7, 18, 10; Apul. met. 1, 5; Tertull. (novem locos enumerat in indice Oehlerus); Ulp. dig. IX, 4, 21 § 2; Lact. inst. 3, 20, 15; Amm. Marc. 24, 3, 9; Vulg. 1 reg. 20, 17; eccl. 9, 2 (de deut. 6, 13 cf. Roensch pag. 188); gl. Placid. pag. 34, 1 Deuerl. *deiero, deos iuro*; gl. Labb. *deiurat* ὀμνύει. Formam deponentialem *deieror* habet Apul. met. 10, 15. — Praeterea cf. *deieratio* inscr. ap. Marini, fratr. arv. p. 70; Tertull. de poen. 4. de idolol. 20; Mart. Capell. 2, 107; Salvian.; *deiurium* Gell. 7, 18, 8; gl. Placid. p. 32, 7 D *deiurium, iusiurandum certum iurare*; gl. Labb. *deiurium* εὔορκος.

[1]) Loci hi sunt: 1, 842. 885. 917. 1096. 2, 506. 677. 736. 807. 1018. 3, 8. 74. 282. 4, 89. 231. 5, 297. 712. 810. 6, 506. 881. 1129. Praeterea non minus saepe invenitur *similis* velut 1, 605. 886. 2, 272. 299. 336. 341. 372. 377 etc. Corrigenda est igitur aliqua ex parte Woelfflini sententia l. l. pag. 159.

2) Verbum *demorior* et maxime participium *demortuus* praecipue videntur magistratuum et iurisconsultorum Romanorum sermonis propria: cf. inprimis leg. Iul. municip. CIL I n. 206, 87 pag. 121 *in demortuei damnateive locum*; praeterea Corn. I, 11, 20 bis: *augur in demortui locum qui petat*: Cic. Verr. II, 4, 5, 9 *ne quis emeret nisi in demortui locum*, ib. II, 2, 50, 124 *cum esset — senator demortuus*: saepe deprehenditur haec vox apud Livium: 5, 31, 7. 9, 34, 17. 23, 21, 7. 23, 22, 5. 23, 23, 1. 26, 23, 7. 27, 8, 4. 39, 45, 8: item apud Curtium 8, 3, 17. 8, 10, 22; Suet. Caes. 41. Aug. 10, 31; in iurisconsultorum libris Ulp. dig. IV, 4, 11 § 5; id. ib. VI, 1, 15 § 3: id. ib. VII, 1, 70 § 1: id. ib. XIX, 2, 19 § 1; id. ib. XXI, 1, 31 § 11; id. ib. XXXVII, 1, 3 pr.: Paul. dig. VII, 1, 18; inst. Iust. 2, 1, 38. Aliis autem locis *demori* et *demortuus* non sollemni illo sensu usurpata esse videntur: cf. Pl. Stich. 1, 3, 58 *potationes — demortuae*, ib. 1, 3, 64 *fame demortuos* (!sic Ritschl, *emortuus* codd.): Mil. 1, 1, 23 *ea demoritur te*. similiter Mil. 4, 2, 49; Cic. Att. 16, 11, 7 *nostrique familiares — fere demortui*; Liv. 40, 19, 7; de vitibus et arboribus dicitur Col. 3, 16, 2 et ICt.; item de vocabulis Gell. 9, 2, 11. Porphyr. ad Hor. epist. 2, 1, 21 pag. 312 Meyer; *demortua caro* Salvian. gub. dei 7, 1, 3 Praeterea cf. gl. Labb. *demorior ἀποθνήσκω*.

In uno verbo cum praepositione *de* composito praepositio suam retinuit vim:

3) *Despicio* Cic. Rosc. Am. 8, 22 *simulatque ille despexerit*; dictum est enim admodum singulariter pro *simulatque ille oculos averterit*; in ceteris locis Ciceronianis *despicere* idem fere significat quod *contemnere*, velut in eadem oratione pro Roscio Amerino 46, 135.

d) *Sub* et *per*.

Adiectiva aliquot cum praepositionibus *sub* et *per* composita a vocabulis de quibus modo egimus eo differunt, quod in iis praepositio principalem suam conservavit notionem.

Atque *sub* praepositio cum adiectivo vel verbo coniuncta cum vim quandam deminuendi contineat, vocabula in hunc modum composita prope ad nominum deminutivorum acce-

dunt, significationem; quorum usus cum late patuerit in sermone vulgari, illa quoque verba copulata in sermone cotidiano non minus saepe usurpata esse probatur. (Cf. L. Stuenkel, *de Varroniana verborum formatione*, Argentorati 1875 pag. 74; Stinner, pag. 13; Woelfflin l. l. pag. 163 sq.).

Exempla haec sint:

1) *Subamarus*: Cic. inv. I, 17, 25 *subamara aliqua re*, fat. 4, 8; Amm. Marc. 27. 11, 5; adverbium legitur apud scholiast. Bob. ad Cic. Sest. III, 3 (cf. Cic. ed. Orell. vol. V part. 2 pag. 293 vers. 31).

2) *Subcrispus*: Corn. IV, 19, 63; Cic. Verr. II, 2, 44, 108; Varr. r. r. 2, 5, 8. 2, 7, 5; Iul. Valer. rer. gest. Alex. 1, 13 pag. 16, 7 ed. Zacher.

Cum praepositione *per* compositum est adiectivum *perliberalis* Ter. Phorm. 5, 3, 32. Hec. 5, 4, 24; adverbium *perliberaliter* habet Cic. Rosc. Am. 37, 108 *ut perliberaliter ageretur*: id. Att. 10, 4, 10.

In extrema hac paragrapho accedant duo verba composita, quae apud unum legi Cornificium:

1) *Opplorare* IV, 52, 65 *quin — vos auribus meis opplorare desinitis*; cf. gloss. Labb. *opploro καποδύρομαι*.

2) *Transnumerare* IV, 50, 63 *si hodie vis transnumerari*.

§ 2.

De vulgaris abundantiae exemplis Cornificianis et Ciceronianis.

Quod breviter supra commemoravimus copiam quandam dicendi et abundantiam in sermone vulgari in usu esse, id multis ac variis ex rebus intellegitur. Vocabulis enim, quae ipsa eam, qua opus sit, notionem satis exprimant, alia vocabula idem vel simile aliquid significantia, quo planior et copiosior sit oratio, adduntur, ut ea quae efficitur locutio abundantiam quandam sive, ut grammatici dicunt, pleonasmum contineat. Eiusmodi formulae sensu abundantes a Cicerone in posterioribus quos scripsit libris etsi non omnino reiectae, attamen multo rarius quam in prioribus usurpatae sunt, cum in illis quod dici opus esset quam paucissimis

plerumque exprimeretur verbis. Luculento exemplo est particula *tametsi*, ex *tame(n)* et *etsi* composita; post cum duae verbi partes contractae essent et in unum quasi corpus ita coaluissent, ut pro uno acciperentur verbo, haud raro in apodosi additum est alterum *tamen*, quo opposita duarum enuntiationum sententia accuratius exprimeretur; abundat igitur alterum *tamen*. Et grammatici ubi Romae exstiterunt et intellegendae sermonis proprietati operam navare coeperunt, plane supervacaneum esse alterum *tamen* perspexerunt; quo fit, ut *tametsi* — *tamen* in posterioribus Ciceronis libris multo rarius occurrat quam in iis quos primos confecit.

Legi autem *tametsi* — *tamen* apud Corn. I, 7, 11. II, 20, 31. 26, 40. IV, 20, 28. 21, 29. 29, 39. 37, 49. 38, 50. 51, 64; apud Ciceronem in prioribus libris inv. I, 20, 28. II. 16, 51. Quinct. 3, 13. Rosc. Am. 17, 49. 20, 55. 20, 56. 27, 73. 30, 85. 40, 117. 42, 123; item in iis orationibus quae Roscianam excipiunt: Tull. § 5. 6. 39 etc. etc. (cf. Hellmuth act. Erl. I pag. 160); in epistulis, velut fam. 1, 5, 1. 3, 4, 1. 4, 15, 2. 13, 71; at aliquanto rarius in posterioribus scriptis velut Mur. 7, 16. de or. I, 61, 262. II, 52, 210. Saepissime *tametsi* — *tamen* deprehenditur in Caesaris commentariis et inprimis apud Sallustium: Caes. b. gall. 1, 30, 2. 5, 34, 2. 7, 43, 4. 50, 2. b. civ. 1, 26, 2. 3, 67, 4; Sall. Cat. 3, 2. 3, 4. 20, 1. 21, 1. 48, 5. 52, 9. Iug. 6, 2. 11, 1. 13, 3. 16, 3. 20, 5. 25, 11. 26, 2. 29, 2. 31, 21. 32, 2. 34, 1. 38, 9; inde autem a capite undequadragesimo usque ad finem libri Sallustius plane evitavit *tametsi* — *tamen*: cf. Woelfflin l. l. pag. 142. Praeterea cf. Hirt. b. gall. 8, 10, 4. 8, 20, 1; Edictum Claudii CIL vol. V, 5050 *tametsi animaduerto* — *tamen* — *patior*; Ascon. in Pison. pag. 2, 14 Kiessl. et Schoell; Quintil. 9, 3, 2; Iustin. 8, 1, 10 etc. etc. Ex contrario deest omnino *tametsi* — *tamen* apud Nepotem.

Simili modo ad *nihilo minus* saepe additur *tamen*, quo additamento, si accurate spectes, plane non est opus; cf. Hand Turs. IV pag. 201: adde: Varr. l. l. 8, § 28 M *tamen* — *nihilo minus*; Cic. Tull. § 39; Nep. Att. 22, 3; Gai. 2, 170 *tamen nihilo minus*; Lactant. 7, 3, 19; Auson. grat. act. § 62 etc. Similiter dicitur *nihilo tamen secius* Caes. b. gall. 5, 4, 3. 5, 7, 3. Nec minus commemorabile videtur, quod legitur apud Ciceronem Rosc. Am. 20, 55 *verumtamen, quamquam abest a culpa, tamen suspicione non caret*, ubi alterum *tamen* additum est, quia praecedit *quamquam*; idem habes apud Lucretium 1. 734—740 ubi praecedente *tamen* sequitur enuntiatio concessiva a particula *quamquam* incipiens, post quam *tamen* repetitur), et antecedente particula *quamvis* apud Cic. Phil. 2, 16, 39 *erant quidem illa castra plena curae, verumtamen homines, quamvis in turbidis rebus sint, tamen, si modo homines sunt, interdum animis relaxantur*. Ceterum etsi Cicero, cum orationem Roscianam componeret, sermonem iam ad perfectiorem elegantiae gradum provexit, tamen quanta duritate et quasi dicendi asperitate in hac quoque oratione interdum impeditus fuerit[1]), ex loco supra laudato satis intellegitur. Secuntur enim illic brevibus interpositis intervallis verba haec: *verum* — *tamen* — *verumtamen, quamquam* — *tamen* — *tametsi* — *tamen*.

De *tametsi* — *tamen* exposuit Woelfflinus l. l.; idem ib. pag. 142 vulgaris loquacitatis vestigia inesse perspexit in his locutionibus: *propterea quod* (item *propterea quia*) et *ideo quod* (*ideo quia*).

Propterea quod apud Cornificium legitur vicies sexies: II, 24, 37. III, 8, 15. 15, 27. 19, 31. 22, 35. 22, 36 bis. IV, 1, 1. 4, 7 bis. 7, 10. 17, 24 bis. 17, 25. 22, 30. 22, 32. 23, 32. 24, 34. 25, 35. 37, 50 (quem locum suspectum habet Kayserus). 45, 58. 46, 59. 47, 60. 48, 61. 56, 69 bis; apud Ciceronem in libris a nobis perquisitis vicies octies: inv. I, 18, 25. 31, 53. 36, 65. 42, 78. 50, 95. II, 3, 9. 9, 30. 13, 44. 21, 64. 33, 102. 37, 111. 40, 116. 42, 123. 57, 171. Quinct. 2, 6. 5, 21. 7, 29. 10, 34. 10, 35. 23, 73. Rosc. Am.

[1]) Hoc in libris de inventione saepius fieri cum per se sit manifestum et multis locis comprobetur, unum attulisse satis sit exemplum: I, 23, 33 *ac sunt alia quoque praecepta partitionum, quae — pertineant, quae versantur in ph., ex quibus — transtulimus, quae convenire videbantur, quorum — inveniebamus.* Quinque igitur enuntiationes relativae hoc loco sese excipiunt.

1, 1. 1, 3. 2, 5. 23, 65. 29, 81. 38, 111. 39, 113. 40, 116. Saepe invenitur *propterea quod* etiam in reliquis prioribus Ciceronis libris: Arat. 39. Quint. Rosc. 4, 10. Caecin. 2, 5. 2, 6 etc. (cf. Hellmuth act. Erl. I pag. 157), et in epistulis, velut fam. 5, 18, 1. 9, 18, 1 etc.; aliquanto rarius in posterioribus scriptis, velut Sest. 47, 100. Acad. 2, 11, 33. fin. 3, 6, 22. 3, 11, 39. 3, 15, 50. 3, 22, 73. 5, 13, 38.

Praeterea legi *propterea quod* apud scriptores hos: Plaut. Amph. 1, 1, 141. Asin. 1, 1, 34; Ter. And. 1, 1, 10; Cat. frgm. pag. 44, 1 Iord.; Sisenn. frgm. 23 P; Caes. b. gall. 1, 1, 3. 3, 6. 6, 2. 18, 3. 31, 2. 31, 10 bis. 3, 21, 3. 5, 16, 2. 7, 26, 2. b. civ. 3. 16, 4. 3, 92, 3; Hirt. b. gall. 8, 48, 10; Lucr. 2, 799. 4, 314. 5, 450. 1170. 6, 53. 829; CIL I, n. 201, 6 (in epistula praetoris ad Tiburtes); auct. orat. »pridie quam etc.« § 4; auct. orat. »cum populo gratias egit« 9, 22. 23. *Propterea quia* — ut omittam priscos scriptores — legi apud Cic. fin. 1, 16, 53. div. 2, 22, 49. fam. 10, 33, 5; Lucr. 1, 631. 2, 72. 232. 3, 570. 4, 184. 318. 324. 336. 347. 1212. 5, 558. 917. 6, 97. 462. 1047[1]) (cf. Hand Turs. IV pag. 614 sq.).

Ideo quod[2]) Cornificius quinquies adhibuit: II, 8, 12. IV, 25, 35. 30, 41. 32, 43. 44. 57; Cicero in libris iis, quorum nos in hoc libello praecipue rationem habemus, decies: inv. I, 10, 14. 14, 19. 40, 74. II, 1, 3. 34, 104. 45, 131. 48, 143. 49, 144. Rosc. Am. 13, 36. 30, 85; praeterea repperi *ideo quod* apud Cic. Verr. II, 1, 58, 153. II, 3, 82, 190. Caecin. 2, 6; Varr. l. l. 7 § 11. r. r. 2, 6, 5; Nep. Ham. 3, 3; auct. b. Afr. 24. 73. 87. 97. 98; Lucr. 4, 328; Hygin. fab. 14 pag. 46, 20. fab. 80 pag. 81, 27 Schm.; Quintil. 10, 1, 131; Vitruv. (cf. indicem Nohlii) etc. *Ideo*

[1]) Memorari attinet apud Lucretium *propterea quia* constanter legi in principio hexametrorum, *propterea quod* fere semper in exitu. Duo huic regulae obstant versus: atque in priore quidem 5, 45 Lucretium ut hiatum evitaret *propterea quod* dixisse apparet; in altero 6, 829, cum reliqua omnia ad hanc regulam quadrent exempla, nescio an scribendum sit *propterea quia*.

[2]) *Eo quod* et *ideo quia* (e. g. Cic. off. 1, 31, 110) locutionum usum in ceteris Ciceronis aliorumque scriptorum libris non respexi.

quia est apud Plaut. Men. 1, 1, 2. Merc. 3, 1, 46; Ter. Hec. 2, 1, 21; Lucr. 6, 1103 etc.

Rarissime legi in scriptis a me perquisitis *eo quod*: Corn. III, 8, 15. IV, 11, 16 bis, ex quibus locis tertium suspectum habet Kayserus; Cic. inv. I, 30, 48.

Eos tantum enumeravimus locos, quibus praecedentes particulae *propterea, ideo, eo* nullo vocabulo interposito separantur a sequentibus *quod, quia*. Nam sic tantum formulae illae loquacitatis aliquid vulgaris praeferre videntur: contra quotienscumque seiunctae sunt inter se singulae voces, suam quaeque retinet vim ac notionem. Ac *propterea quod* verba fere semper coniuncta leguntur; in iis de quibus agimus libris non plus duobus locis addita ad *propterea* particula *que* verba illa inter se separata sunt: Corn. II, 24, 38 *proptereaque diligentius consideranda sunt quod etc.*; Cic. inv. I, 18, 25 *proptereaque id optime faciendum est quod etc.*[1]).

Ideo cum ex *id* et *eo* ita compositum esse videatur, ut duo illa verba paulatim in unum coaluerint[2]) (cf. Plaut. Curc. 1, 1, 61 *id eo fit, hic quia leno aegrotus incubat*. Rud. prol. 24 etc.)[3]), ab initio ad duas pertinuisse enuntiationes verba *ideo quod* consentaneum est; velut Corn. II, 8, 12 *neque tamen ei rumori nos fidem habere dicemus ideo quod etc.* hoc fere modo explicandum videtur: *neque tamen ei rumori nos fidem habere dicemus; id faciemus eo quod etc.* Itaque olim quidem necesse erat duo illa verba *ideo quod* in fine prioris enuntiationis nulla alia voce interposita continuo sese excipere. Et ex duodeviginti exemplis, quibus apud Cornificium et Ciceronem formula illa legitur, in quindecim locis supra a nobis allatis more antiquissimo coniunctum est *ideo quod*; ter haec verba inter se separata sunt, quod tum demum fieri poterat, postquam qualis esset origo huius structurae obliti

[1]) Eundem usum *propterea — quod* vocabulorum separatorum in ceteris Ciceronis aliorumque scriptorum libris non magis curavi quam *ideo quoniam, eo quia* locutiones.

[2]) Rarissime *ideo* prisci poetae Romani adhibuerunt, paulo saepius *idcirco*, saepissime *eo*.

[3]) Cf. etiam e. g. Plaut. Amph. 2, 2, 124 et Ter. Heaut. 3, 1, 96 *eo fit, quia* . . .

sunt Romani; legitur *ideo — quod* Corn. IV, 25, 35 *haec ideo commoda putatur exornatio quod etc.* Cic. inv. I, 8. 11. 11. 15: item *ideo — quia* Corn. II, 26, 41; *ideo — ut* Cic. inv. I. 23, 32. II. 23, 70. Neque tamen praetereundum videtur in compluribus ex his exemplis positum esse *ideo* post formam aliquam pronominis *hic*, ut in his quoque locis, cum in initio enuntiationis pronomina sese excipere soleant, principalis pronominis *id* natura aliquo modo eluceat: cf. Corn. IV, 25, 35 *haec ideo*, II. 26, 41 *hoc ideo*; Cic. inv. I, 23, 32 *haec ideo*; II, 23, 70 *hanc ideo*. — Ex iis auctoribus, qui ante Cornificium scripserunt, *ideo — quod* verba iam Cato videtur separavisse in orig. lib. II frgm. 20 pag. 12 Iord. *ideo Graviscae dictae sunt, quod gravem aërem sustinent*; quamquam recte Iordanus adnotat haec non ipsius Catonis, sed potius Servii esse verba [1]).

Quodsi illam quam supra explicavimus verbi *ideo* originationem exemplis a nobis allatis satis probavimus (cf. Perizonius ad Sanct. Min. 3, 14, 37; Lindemann. de adverbio 2 pag. 19; Ramshorn gramm. pag. 851), minus videtur esse probabilis altera quam Handius proposuit sententia Turs. III pag. 179, cum dicat in *ideo* verbo *id* fere idem esse quod *eo*, »*ut in duplicata notione eiusdem generis maior et distinctior vis exsistat*«.

Contra *idcirco quod*, quod prorsus diversam ab *ideo quod* locutione habet originem (cf. Hand Turs. III pag. 171, qui *idcirco* idem esse ait quod *circum id* vel *circa id*), semel coniunctum est apud Corn. II, 24, 37, itemque *idcirco quia* apud Cic. Rosc. Am. 1, 1: quo loco cum praecedat *propterea quod*, orationis variandae causa dictum esse *idcirco quia* apparet. Contra ceteris locis et Cornificianis et Ciceronianis omnibus verba duo, ut par est, inter se seiuncta sunt: Corn. IV, 31, 42; Cic. inv. I, 22, 32. II, 9, 28. 46, 136. 50, 150.

[1]) Inde a Ciceronis aetate *ideo — quod (quia)* saepissime, ut par est, aliis verbis interpositis dirimuntur; exempla huius usus notissimi (velut Lucr. 3, 817 sq.; Hor. epist. 1, 19, 26 sq.; Col. 3, 2, 12; Lucr. 1, 814 sqq.; Cic. Att. 2, 1, 1; Liv. 45, 22, 5; Mela 3, 2, 6; Quintil. 6, 4, 1) colligere nolui.

50, 151. Rosc. Am. 33, 94. 39, 112; item *idcirco — quia*. Hic autem usus fere idem est per omnes Ciceronis libros et priores et posteriores. Quin etiam praeposita coniunctione *quod* legitur *quod — idcirco*: Cic. inv. II, 47, 139 *nunc vero quod intellegeret, — idcirco eum — non adscripsisse*; Rosc. Am. 50, 145, item in posterioribus libris, velut Phil. 2, 15, 38 etc. [1])

Sicuti ad *tametsi* additur *tamen*, eadem ratione ad particulam *nisi* interdum adiungitur *si*, ut fiat *nisi si*, cuius formulae significatio vix quicquam differt a simplicis particulae *nisi* notione. Ac largam exemplorum copiam congessit Hand Turs. IV pag. 239 sqq.; sed cum multis apud Ciceronem locis in editionibus post Handii Tursellinum confectis *nisi* legatur pro eo quod antea ferebatur *nisi si*, eos enumerabimus locos quibus hodie quoque Ciceronis editores *nisi si* exhibent: inv. II, 57, 171 *nisi si malunt fame perire*; Quinct. 19, 60 *nisi si latitant*; Verr. II, 2, 25, 62 *nisi si quid moveri loco non potuerat*; Catil. 2, 4, 6 *nisi vero si quis est*, ubi *si* delet Madvigius, quem sequitur Halmius: Phil. 2, 28, 70 *nisi si tu es solus Antonius*; fam. 14, 2, 1 *nisi si quis ad me plura scripsit*; Att. 2, 3, 2 *nisi si quid erit eiusmodi*; ib. 2, 11, 1 *nisi si quid ex praetereunte viatore exceptum est*; Tusc. 2, 18, 42 *nisi si vellent voces inanis fundere*. Apparet inde *nisi si* dixisse Ciceronem praecipue in prioribus scriptis et in epistulis. Ex aliis scriptoribus ad Handii exempla addimus haec: Pl. Capt. 3, 3, 15 (cf. Brix ad Pl. Trin. 2, 4, 73). Epid. 1, 1, 20. Most. 3, 2, 82: Pacuv. trag. 7 pag. 77 R (ubi cod. Leid. B et Davisius *nisi si*, ceteri *nisi*); inc. inc. fab. trag. 90 pag. 274 R (ubi *nisi si* Ambros. Bamb. suppl., *nisi* ceteri libri): Ter. Eun. 3, 3, 18. 5, 2, 63. Heaut. 2, 4, 11; Lucr. 4, 802 (ubi *si* ab editoribus additum): CIL I n. 198, 37 pag. 60 *nisei sei quae causa erit*, ib. n. 205, 50 pag. 116 *nisei sei Mutinae ea res agetur*, colleg. funer. Lanuv. II, 1 (cf. Mommsen, de collegiis pag. 98—116) *nisi si quis testamento heres nominatus erit*; Publil. Syr. sent. 120 pag. 320 R; Nep. Att 13, 2; Vitruv. 5, 1, 4 pag. 105, 28 R. 7, 3, 8 pag.

[1]) *Quia — idcirco* legitur e. g. Cic. off. 1, 30, 110, sed huius locutionis usum nolui pluribus verbis persequi.

168, 18. 8, 2, 8 pag. 191, 19; Colum. 2, 18, 4. 3, 9, 3. 4, 29, 11. 4, 33, 5: Labeo dig. III, 5, 42 (43): Ulp. dig. XV, 3, 10 § 2. id. ib. L, 17, 23; Florentin. dig. XLI, 1, 4 etc. etc. Comparare licet ex lingua Italica *se non se,* quae formula idem fere significat quod *nisi si*: »ausser wenn, es sei denn dass«.

Similiter *quasi si* legitur apud Plaut. Amph. 5, 1, 26. Cas. prol. 46 (ubi *quasi si* codd. B J, *quasi* A); inc. inc. fab. com. 68 pag. 123 Ribb. (ubi *si* addidit Ribbeckius); Corn. IV, 3, 4 *quasi si quis Olympiam cum venerit — impudentis dicat esse illos etc.*; Lucr. 4, 1007; CIL vol. I n. 197, 13 pag. 45 (in tabula Bantina) *quasei sei is haace lege etc.*; ib. I n. 198, 41 pag. 60; ib. I n. 198, 73 pag. 62 (in lege repetund.); ib. I n. 202, I, 40 pag. 109; ib. I n. 202. II, 3 pag. 109 (in lege Cornel. de XX quaest.); ib. I n. 571, 8 pag. 161; ib. I n. 603, 14 pag. 176 etc.

Adicimus ex Cornificio et primis Ciceronis scriptis exempla ea, quae ad similem dicendi abundantiam pertinent:

1) Corn. IV, 32, 43 *Mars istud te facere necessario coegit*; Cic. inv. I, 3, 4 *ut necessario — resistere audacibus — cogeretur*; cf. Koehler act. Erl. I pag. 447.

2) Corn. IV, 19, 26 *membrum orationis appellatur res breviter absoluta sine totius sententiae demonstratione, quae denuo alio membro orationis excipitur,* quamquam dubitare possis, num revera pleonasmus in hac locutione agnoscendus sit.

3) Corn. IV, 23, 33 *etiam insuper*; cf. Pl. Casin. 2, 8, 5. Merc. 4, 2, 2. Trin. 4, 3, 18; Ter. Eun. 4, 3, 3. 5, 6, 13. Adelph. 2, 2, 38; Liv. 21, 1, 5.

4) Cic. inv. II, 50, 152 *quibus ante praedictum est,* ita Orell. ex codd. P A R T; cod. E praebet *dictum,* quam lectionem Kayserus nescio an sine iusta causa receperit. Cf. Koehler act. Erl. I pag. 446 sq.

5) Cic. Rosc. Am. 14, 40 *rursus igitur eodem revertamur*; cf. Koehler act. Erl. I pag. 447.

6) Cic. Quinct. 26, 83 *postea futurum*; cf. Sall. or. Lepid. ad pop. Rom. *supplicia in postfuturum composuit*; Plin. n. h. 7, 55 (56), 190 *postfuturi aestimatione*; Gell. 17, 7, 8 *lex in postfuturum loqui videbitur.*

At non videtur pleonasmus inesse in verbis his: Cic. Rosc. Am. 18, 51 *cum ruri assiduus semper vixerit*; vid. Halmium ad h. l. et cf. Cic. de or. 2, 39, 162 *tradam assiduus uno opere eandem incudem diem noctemque tundentibus*; Liv. 34, 9, 5 *cuius assiduus custos semper aliquis ex magistratibus erat* et Weissenborn ad h. l. (comparari potest Homericum illud ἐμμενὲς αἰεί).

Apud priscos scriptores latinos, inprimis apud Plautum et Terentium, ad verba ea, quae actionem aliquam animi ut *cogitandi investigandi* exprimunt, aliquotiens additur ipsa vox *animus* eo quo opus est casu prolata, quo dilucidius appareat verborum significationem ad animum translatam esse. Atque ex Plauto et Terentio enotavi exempla haec: *cogitare cum animo suo* Pl. Most. 3, 2, 13; Ter. Adelph. 3, 4, 55; *cogitare in animo* Ter. Adelph. 1, 1, 5. 5, 3, 32; *investigare cum animo* Pl. Aul. 4, 9, 3; *considerare secum in animo* Ter. Heaut. 2, 4, 5. Sed apud Ciceronem quoque locutiones hae et his similes leguntur; exempla quae maxime viderentur memorabilia excerpsi haec: Verr. II, 3, 12, 29 *considerate cum vestris animis vosmet ipsi, ecquem putetis etc.*: Verr. II, 3, 41, 95 *sic habuisti statutum cum animo ac deliberatum*: Cluent. 25, 70 *haec — facilius credetis, si cum animis vestris longo intervallo recordari C. Staieni vitam et naturam volueritis*; leg. agr. 2, 24, 64 *vos tamen id potestis cum animis vestris cogitare* (cf. Rosc. Am. 24, 67 *suae malae cogitationes conscientiaeque animi terrent*). Huc illud quoque pertinere arbitror, quod bis legitur in priore de inventione libro *animo conligere*: I, 1, 1 *cum et nostrae rei publicae detrimenta considero et maximarum civitatum veteres animo calamitates conligo*: I, 28, 42 *ut commode quid eventurum sit ante animo conligi possit.* Simili modo Cicero bis dixit *animi ratio* pro simplici *ratio*: inv. I, 1, 1 *sanctissimas amicitias intellego cum animi ratione tum facilius eloquentia comparatas*; ib. I, 2, 2 *nec ratione animi quicquam, sed pleraque viribus corporis administrabant.*

Saepe ad pronomen relativum, ut plenior et dilucidior fiat oratio, iterum additur nomen illud substantivum, ad quod

respicit pronomen relativum (cf. Rebling *versuch einer characteristik der roemischen umgangssprache*, Kiliae 1875, pag. XVI). Atque apud aureae aetatis scriptores hunc in modum repetuntur plerumque substantiva communi aliquo sensu praedita, velut *res dies locus*.

1) *Res* additum est ad pronomen relativum apud Cornificium duodecies a) praecedente enuntiatione demonstrativa I, 2, 2. 4, 7. 9, 16. 10, 17. II, 15, 22. 30, 49. III, 3, 4. IV, 9, 13. 48, 61. b) praecedente enuntiatione relativa III, 6, 10. IV, 3, 5. 7, 10; apud Ciceronem inv. I, 4, 5. 5, 7. 6, 8. 21, 29. 32, 53. II, 31, 97. Rosc. Am. 3, 8. 10, 28. Tull. § 27. 33 etc. Nec dissimiliter Cornificius II, 12, 17 dixit *ea ex quibus rebus*, ubi *ea* positum est pro *eae res*, cf. Plaut. Pers. 3, 1, 65 *si hoc adcurassis lepide, quoi rei operam damus* etc.

Vocabulum *res* non solum in sententiis relativis, sed in aliis quoque enuntiationibus brevibus intervallis bis vel ter positum est[1], velut Corn. II, 12, 18 *utrum eae r e s similes sint ei r e i*: Cic. inv. I, 28, 43 *num quae r e s ex iis r e b u s*; Corn. II. 25, 39 *cum ea r e, quae pluris r e s significat, abutimur pro certo unius r e i signo*: IV, 9, 13 *r e r u m imperiti, qui uniuscuiusque r e i de r e b u s ante gestis etc.*; IV, 54, 67 *cum r e s, quae secuntur aliquam r e m, dicuntur, ex quibus tota r e s relinquitur in suspicione*: quin etiam quater Corn. IV, 47, 60 *non ut in ceteris r e b u s, r e s ab r e separata est,*

---

[1] Alia quoque verba inprimis apud Cornificium, qui cultioris stili elegantiam minus curat, hunc in modum leguntur repetita. Proponimus unum exemplum de multis Corn. IV, 4, 7 *contra ea, quae ab iis d i c e n t u r, qui d i c u n t alienis se exemplis uti oportere, satis est d i c t u m: nunc quae separatim d i c i possunt, consideremus.* 5, 7 *D i c i m u s ergo eos sqq.; sed de eo, quod postea d i x i m u s, antea videamus.* Secuntur ergo hoc loco brevibus intervallis sex verbi *dicere* formae. Quod supra diximus Cornificium stili elegantiam minus curare, inde quoque apparet, quod tamquam anacoluthon vel prisco more aliquam speciem attractionis admisit II, 29, 46 *item vitiosum est i d, quod adversarii factum esse confiteantur, d e e o argumentari*; nescio autem an in animo habuerit scribere *id — planum facere factum esse*, vel similia.

sed utraque r e s coniuncte comparata. Apud Caesarem, qui hac substantivi repetitione frequenter usus est, *res* adiectum est ad pronomen relativum b. gall. 4, 19, 4. Cf. Gaius 4, 131.

2) *Dies* apud Cornificium quidem relativo numquam adiungitur, contra apud Ciceronem inv. I, 36, 63. Quinct. 28, 86. 30, 92. Rosc. Am. 45, 130. Catil. 1, 3, 7. Phil. 14, 1, 3. Att. 2, 11, 1; Caes. b. gall. 1, 6, 4. 1, 16, 5. 6, 35, 1: similiter repetita est vox *dies* b. gall. 1, 42, 3 *d i e s colloquio dictus est ex eo d i e quintus*. Huc pertinent notae illae formulae *pridie eius diei, postridie eius diei*[1]).

3) *Locus* apud Corn. II, 5, 8; Cic. inv. I, 42, 78. 54, 105. II, 46, 137. 59, 177. p. Sull. 15, 43; Caes. b. gall. 1, 49, 1. 2, 18, 1. 4, 7, 1; Hirt. b. gall. 8, 17, 1; Gromat. 53, 12. 55, 8 L.

Praeter haec substantiva communi et universa aliqua praedita significatione alia quoque eundem in modum repetuntur. Videtur autem hic usus universus originem fere duxisse a certis quibusdam formulis ex legum et iurisconsultorum sermone haustis, in quo, ne qua remaneat obscuritas, multa saepe iterantur verba. Conf. Lex agraria CIL vol. I, n. 200, 13 pag. 80 *extra eum agrum quei ager*, ib. I, n. 200, 22, pag. 80 *[a]grum locum quei ager locus*; cf. ib. I, n. 200, 65 pag. 83; n. 200, 74 pag. 84; n. 200, 83 pag. 85: item CIL vol. I, n. 200, 89 pag. 85 *[qu]ominus e a l e g e sient pareantque, q u a m l e g e m Cn. Paperius cos. — [deixit]*: Lex Cornelia de XX quaestoribus CIL vol. I, n. 202, II, 8 — 9 pag. 109 *ei quaestores e o i u r e e a l e g e viatores IIII legunto —, q u o i u r e q u a l e g e quaestores — viatores III legerunt*; cf. n. 202, II, 12 — 13 pag. 109; Senatusconsultum apud Cic. fam. 8, 8, 7 in epistula Caelii: *qui eorum stipendia emerita aut c a u s a s, q u i b u s de c a u s i s missi fieri debeant, habeant*: Frontin. aq. d. 2, 119; etc.

---

[1]) Memorabili loco Legis Repetundarum CIL vol. I n. 198 § 63 (pag. 62) *ubi e a d i e s venerit, q u o d i e iusei erunt adesse* posse alicui videri *quodie* fere ad exemplum *hodie* vocabuli usurpatum extare monuit nos Studemundus in scholis collato Buecheleri libello *Grundriss der lateinischen Declination* p. 10.

Ex hoc igitur legum sermone sumpta videntur esse exempla haec:

4) *Lex* Corn. II, 10. 15 *quod ea lex sanciat, cui legi obrogatum sit*: Cic. inv. II, 27, 82: Caes. b. civ. 2. 25. 4: Caesar ap. Sall. Cat. 51, 40.

5) *Ius* Corn. II, 13, 19 *natura ius est. — quo iure parentes a liberis coluntur*: Ter. Hec. prol. 3.

6) *Causa* Cic. Flacc. 33, 81 *habetis causam inimicitiarum. qua causa inflammatus sqq.* ep. fam. 13. 58.

7) *Edictum* Cic. Verr. II, 1, 48, 125.

8) *Fundus* Cic. Mil. 20, 53.

9) *Maleficium* Cic. Rosc. Am. 26. 72.

10) *Magistratus* Cic. Tull. § 49.

11) *Senatus* Cic. Brut. 60, 218.

Fortasse etiam haec:

12) *Civitas* Caes. b. gall. 5, 12, 2. 13) *Tabulae* Caes. b. gall. 1, 29. 1: item *tabellae* Cic. de or. I. 38, 174.

14) *Tempus* Cic. div. Caecil. 1, 2.

Praeterea apud Cornificium et Ciceronem et Caesarem iterata inveni haec:

15) *argumenta* Cic. inv. II, 14, 46. 16) *bellum* Cic. Catil. 3. 10. 25 *in hoc bello, quale bellum — quo in bello*. epist. fam. 9. 13, 1: cf. etiam Woelfflin ad Liv. 21, 17, 4. 17) *castra* Caes. b. gall. 2, 7, 4. 18) *clamor* Caes. b. gall. 5, 53, 1. 19) *collis* Caes. b. gall. 7, 69, 2. 20) *funus* Cic. Att. 15. 1 b, 1. 21) *genus* Corn. III, 22, 27. IV, 8, 11: Cic. Verr. II. 2, 74, 183. Sest. 45, 96. 22) *imperium* Corn. IV. 9. 13. 23) *itinera* Caes. b. gall. 1, 6, 1. 24) *liber* Corn. III. 1. 1. 25) *mensis* Cic. Verr. II, 2, 52, 128. 26) *modus* Corn. II, 7, 11: Cic. orator. § 38. 27) *nomen* Cic. Rosc. Am. 43. 124. 28) *ordo* Cic. Verr. II, 3, 79, 184. 29) *pars* Caes. b. gall. 4. 32, 1. 30) *portus* Caes. b. gall. 5, 2, 3. 31) *proelium* Caes. b. gall. 1, 31, 12.

De reliquis apud Ciceronem et alios scriptores exemplis cf. Draeger II pag. 473: locis ab eo congestis adde Ter. Heaut. 20 *exemplum quo exemplo*: Pompei. apud Cic. Attic. 8. 12c *litteras — quibus litteris*: Vitruv. p. 204. 7 R *scripta — quorum scriptorum*. p. 239. 1 R *virgulamque qua virgula*: Hygin. fab. 145 pag. 24 Schm. *mare quod mare*: id. fab. 164 pag. 18, 20 *oppidum quod oppidum*: Petron. 42 *mulier quae mulier*. Alia permulta sciens omitto. Cf. etiam Koehler act. Erl. I pag. 448. Nonnulli scriptores hac iteratione prorsus abstinent, velut Nepos: alii eam non admittunt nisi in notissimis formulis ut *dies* etc., aut in enuntiatione relativa synonymis utuntur (cf. e. g. Verg. Aen. 1, 187 *sagittas — quae tela*: Cic. Phil. 1, 1 *in aedem — in quo templo* etc.). Cf. etiam anonymus in nuntio philol. Gottingensi vol. IX p. 139.

Rarius deprehenditur haec nominum repetitio in iis enuntiationibus relativis, quae ab alio atque simplici pronomine relativo incipiunt; attamen cf. Corn. III, 14, 25 *quantum spatii — tantum spatii*; leg. Iul. municip. CIL vol. I, n. 206, 43 pag. 120: *quamtae pecuniae — tamtam pecuniam* etc.

Sicuti inter nomina substantiva *res*, cum communem et universam contineat notionem, in compluribus linguis adiungitur ad aliud quodlibet nomen propria praeditum significatione (cf. Graecum illud τὸ χρῆμα τῶν νυκτῶν Arist. nub. 1 etc.), ita ex verborum numero illud verbum, quo nuda agendi notio continetur, hoc est *faciendi* vox, quo copiosior fiat oratio, additur interdum ad aliud aliquod verbum [1]. Hunc autem usum sermonis esse vulgaris pluribus verbis exponere non opus est: velut in Germanorum lingua vulgo dicitur *er tut schlafen*, nec minus in Anglorum lingua hic dicendi usus in urbanum quoque receptus est sermonem, ut *do you write? I did not sleep*, similia. Cum his optime congruunt ea, quae explicat Diezius in gramm. ling. Roman. III 3 pag. 416 (in adnotat.) de usu verbi *faire* in prisca Francogallorum lingua: affert exemplum hoc: *me faites entendre = entendez-moi.* — Eadem igitur ratione apud Romanos maxime, ut videtur, in sermone cotidiano saepe actio, quae inest in verbo, exprimitur addito *facere ut.* Complura huius usus exempla cum alii congesserunt tum Zumptius gramm. § 619; ipsi ad-

[1]) Qui usus quam late patuerit in prisca Indogermanorum lingua, nemo ignorat. Velut, ut uno defungar exemplo, in Graecorum lingua illud ϑ in verbis πλή-ϑω πύ-ϑω ἐπαύ-ϑη-ν originem ducit a radice *dha* (cf. e. g. Christ, *griechische lautlehre* pag. 121).

dimus haec: Edictum censorium a. u. 662 (Sueton. de clar. rhetor. 1) *quapropter — videtur faciundum, ut ostenderemus nostram sententiam*; Corn. III, 23, 38 *scio plerosque Graecos fecisse, ut multorum verborum imagines conscriberent*; IV, 1, 1 *faciendum est (nobis) ut rationem demus*; Cic. Att. 11, 23, 2 *eo feci, ut ego celeriter eunti darem*: fam. 10, 17, 3 *Lepidus fecit, ut Apellam ad me mitteret.*

Simili modo pro simplici *mittere aliquid, mitti* interdum dicitur *missum facere aliquid, missum fieri*: quam loquendi formulam inveni apud Pl. Merc. 1, 1, 84. 3, 4, 72. 5, 4, 40. Amph. 5, 3, 2. Trin. 5, 2, 44; Ter. And. 4, 1, 56. 5, 1, 14. Eun. 1, 2, 10. 5, 2, 25. Phorm. 5, 8, 53. Hec. 3, 3, 48. 5, 2, 14. Adelph. 5, 7, 8. 5, 9, 34; Lucil. XXX, 122 pag. 131 M; Corn. II, 17, 25; Cic. Quinct. 14, 46. Rosc. Am. 28, 76. 45, 132 (reliqua exempla, quae quidem in orationibus Ciceronis obviam fiunt, collegit Hellmuth act. Erl. I pag. 141); de or. 1, 10, 44; SC apud Cic. fam. 8, 8, 7 in epistula Caelii; Caes. ad Opp. apud Cic. Att. 9, 7 C: auct. bell. Afr. 54; auct. bell. Hisp. 12. 13; Nep. Eum. 11, 3; Hygin. fab. 38 pag. 68, 15 Schm.; Suet. Caes. 69. Cal. 25 etc. etc. Hanc locutionem in urbanum quoque sermonem receptam esse quamquam ex compluribus exemplis supra allatis satis apparet, tamen in sermone vulgari et militari praecipue fuisse usitatam auctor est Pompeius apud Cic. Att. 8, 12 B *cohortes — ad me missum facias*. Hoc enim exemplo plane demonstratur hanc dicendi formulam adeo pervulgatam fuisse in sermone cotidiano et castrensi, ut duo ex quibus constat verba interdum quasi in unum coalescerent.

Cf. de hoc dicendi usu Draegeri synt. hist. ling. lat. I² pag. 296, qui alia affert exempla haec: Ter. Heaut. 2, 3, 100 *ademptum tibi iam faxo omnem metum*; Phorm. 5, 9, 39 *faxo tali eum mactatum — infortunio*. Simili modo loquitur Plautus Cist. 2, 3, 51 *perfectum ego hoc dabo negotium* etc. (cf. Draeger l. l. pag. 295; Holtze synt. II, pag. 235; Brix ad Pl. Capt. 342; A. Spengel ad Ter. And. 683; Weissenborn ad Liv. 4, 19, 3; Ladewig et Forbiger ad Verg. Aen. 12, 437; Forbiger ad Aen. 9, 323).

§ 3.

Pergimus ad explicandam aliam quam Cicero in constituendo sermone secutus est rationem. Si enim verbum aliquod in lingua antiquiore duas habebat significationes, Cicero saepe ex duabus unam recepit, dummodo alia praesto esset vox, quae alterius notionis munere fungeretur.

Itaque adverbium *nusquam*, quod ab initio ita videtur esse usurpatum, ut tres terminos *unde ubi quo* in se contineret, apud Ciceronem et qui eum secuti sunt scriptores aureae aetatis praecipue unam retinuit significationem »*nirgendwo*«. Legi autem *nusquam* »*nirgendwohin*« apud Corn. II, 2, 3 *nusquam ventum*; cf. quae praeterea congessit exempla Hand Turs. IV pag. 348; adde Nep. Att. 4, 2 *nusquam — dimitteret*; Sall. hist. I, 48, 6 *nusquam — progressum*; Hor. sat. 2, 7, 29 *nusquam vocatus*. De *nusquam* »*nirgendwoher*« cf. Hand l. l.

Adsimulandi verbo semel Cicero ita usus est, ut idem fere significaret, quod *comparandi* inv. I, 28, 42 *simile autem ex specie comparabili aut ex conferunda atque adsimulanda natura iudicatur*; hanc notionem postea huic verbo tribuerunt Tacitus (cf. Draeger ad ann. 15, 39) et Suetonius et alii (velut Vulg.). Reliquis omnibus apud Ciceronem locis vox *assimulandi*, cuius una forma *assimulatus* apud illum legitur, idem significat quod *simulare fingere* (exempla vide in Antibarb. pag. 172 sq.).

Orandi verbum ab initio *agendi cum aliquo per colloquium* habuisse significationem constat; cf. Fest. pag. 198 M *orare antiquos dixisse pro agere testimonio est, quod oratores dicti*; vid. etiam Brixium ad Pl. Trin. 1161. Remansit haec principalis verbi notio in certis aliquot formulis iurisconsultorum sermonis propriis, velut *causam orare* Cic. Quinct. 13, 43 *eam* (sc. *causam*) *cum oraret*, Brut. 12, 47 *oravisse capitis causam*; *litem orare* off. 3, 10, 43 *orandae litis tempus* etc. Quae genuina verbi vis perspicitur etiam in formula *re inorata* Cic. Rosc. Am. 9, 26; cf. Enn. trag. v. 4 pag. 15 R *incerta re atque inorata*; Ambros. ep. 6 n. 1 *inoratam — causam*; videtur autem haec locutio *re inorata* quasi sollemnis per longum temporis spatium mansisse. Haec prin-

cipalis verbi notio paulatim ita imminuta et circumscripta est, ut apud aureae aetatis scriptores paene semper *rogandi* haberet significationem (cf. Brix ad Pl. Trin. 1161).

Verbi *video* genus passivum ab initio duas continebat notiones »*scheinen*« et »*gesehen werden*«, cf. Ter. And. 3, 5, 10 *visus sum*[1]), Varr. r. r. 1, 2, 4 *sol non videtur*, atque inprimis lepidum iocum, quem inesse in verbis Plautinis Most. 833 *TH. Non edepol video. TR. At ego videor: nam inter volturios duos cornix astat* perspexit Studemundus in »*Festgruss der philologischen Gesellschaft zu Wuerzburg*« 1868 pag. 74. Contra Cicero et qui eum secuti sunt scriptores aureae aetatis multo saepius eam ei tribuunt notionem qua significat »*scheinen*« altera »*gesehen werden*«: si quando occurrit, plerumque in iis verbi formis deprehenditur, quae compositae sunt cum perfecti participio. Simplices tamen verbi formae hac notione praeditae sunt apud Corn. II, 7, 10. III, 19, 32. IV, 7, 10: Cic. inv. II, 53, 160: Caes. b. gall. 2, 18. 4, 28. b. civ. 1, 41. Perfecti etc. formas inveni apud Corn. II, 5, 8. 21, 33. IV, 41, 53: Cic. inv. I, 47, 87: Caes. b. gall. 1, 22 etc. etc. Permulta quae ex aliis laudari possunt scriptoribus exempla omitto.

Conflagrandi verbum apud Ciceronem ubique intransitivo sensu usurpatur, velut Verr. II, 1, 15, 41 etc. Transitivus huius verbi sensus exstat apud Hyginum fab. 179 pag. 35, 12 Schm. in codice Frisingensi: *Iovis — Semelem conflagravit* (quamquam Munckerus, quem secutus est M. Schmidtius, abiecta littera *m* mavult *Semele conflagravit*) et Schol. Cruq. Hor. epod. 5, 24 p. 263ᵃ ed. 1597 *vestem conflagrari fecit*. Contra perfecti huius verbi participium passiva prolatum notione est a Cornificio IV, 8, 12 *urbs acerbissimo concidat incendio conflagrata* (et ab Apuleio de mund. 34). Altero apud Cornificium loco IV, 39, 51 (*uno denique atque eodem tempore domus hostili flagrat incendio etc.*) ex iis quae codd. praebent *flagrabat* et *flagrabit* Kayser *flagrata est* s. *flagratur* restituendum suspicatur: simplex autem verbum *flagro* sensu transitivo elatum uno inveni loco: Stat. silv. 5, 2, 120 *miseramque patri flagrabat* (ubi *flammabat* Heinsius et Baehrens) *Elissam*.

[1]) Pl. Truc. 2, 2, 2, ubi olim *videor* passivo accipiebatur sensu, A. Spengelius ex incerta coniectura scripsit *Non vides? — Video: em tibi.*

Adiectivi *ignotus*, sicut Graecarum vocum ἀγνώς ἄγνωστος ἄγνωτος, non passiva solum est notio »*unbekannt, nicht gekannt*«, sed interdum activa quoque deprehenditur significatio »*unbekannt mit, nicht bekannt mit = nicht kennend*«: in aureae aetatis sermone praecipue passiva retenta est significatio, activae notionis munere fungitur *ignarus*. Legi tamen vocabulum activa vi indutum apud Naev. trag. 36 pag. 11 R *ignotae iteris*; Corn. III, 6, 12 bis. IV, 50, 63: Cic. Verr. II, 5, 29, 75. fam. 5, 12, 7; Nep. Ag. 8, 1; Phaedr. 1, 11, 2; Curt. 5, 12, 20; Quintil. decl. 6, 2; Callistr. dig. XLIX, 14, 2 § 7 (cf. Antibarb. pag. 543). Interdum *ignarus* et *ignotus* in codicibus manu scriptis confunduntur, cf. Ovid. trist. 5, 9, 2; Asconius p. 92 (= p. 81, 23 K et S); Drakenborch ad Liv. 36, 43, 7; Hildebrand ad Apul. met. 7, 25 pag. 613 sq.

Adiectivum *eloquens* apud Cornificium significat *lingua praeditus*, ut contrarium sit adiectivo *mutus*: IV, 48, 61 *omnis res — mutas et eloquentis*, IV, 53, 66 *cum res muta — fit eloquens*; attamen substantivum *eloquentia* III, 6, 11 idem fere significat quod *facundia*. *Eloquendi* verbum apud Cornificium legitur locis his: IV, 19, 27. 52, 65. 56, 69.

Woelfflinus l. l. pag. 147 vocem *negotium* in sermone vulgari Romanorum ita usurpatam esse docet, ut latiore quadam notione praedita idem fere significaret quod vocabulum *res*; affert autem ex Sallustio exempla haec: Iug. 56, 1 *quod negotium poscebat*, 58, 7 *infecto negotio* (idem legitur 104, 1), 107, 6 *in tali negotio*; 1, 4 *suam quisque culpam auctores ad negotia transferunt*, 6, 2 *vehementer eo negotio permotus*. Idem usus iam apud Cornificium deprehenditur, qui voce *negotium* ita utitur, ut quasi vices subeat praecedentis vocabuli *res*: II, 30, 49 *ut agi r e s et geri n e g o t i u m videatur*; III, 22, 36 *docet ergo natura se vulgari et usitata r e non exsuscitari, novitate et insigni quodam n e g o t i o commoveri* etc.; cf. I, 8, 13 ubi opposita sunt *negotia* et *personae*. III, 20, 33. IV, 9, 16. 47, 60. 55, 68. etc.

Potestas vocabulum Cornificius semel dixit de verbis IV, 54, 67: *ea reperientur facile, si noverimus et animum adverterimus verborum ancipites aut multiplicis potestates*: eadem vocis notio legitur in argentea linguae latinae aetate apud Sen. ben. 2, 34, 4: praeterea e. g. apud Gell. 10, 29, 1. Aureae aetatis auctores cum verbo *potestas* alias tribuerint notiones, de vocabulis dicere malunt *vis notio significatio*: cf. Antibarb. pag. 891.

Hoc loco quae de usu adverbiorum *ante* et *antea* apud Cornificium et in primis Ciceronis libris dicenda videntur, proferam. *Ante* enim, cum olim adverbium fuerit, in praepositionis usum degeneravit; antiquior tamen atque genuinus ille usus non tantum in certis quibusdam ac sollemnibus formulis integer remanebat, sed etiam praeter eas apud nonnullos scriptores magis minusve vigebat. Velut Plautus adverbio *antea* nusquam usus est, Terentius semel And. 1, 1. 25 in extremo senario (cf. Brix ad Pl. Trin. 568): item neque in comicorum neque in tragicorum poetarum neque in Lucilii neque in Varronis saturarum Menippearum neque in Historicorum priscorum fragmentis *antea* usquam deprehendi; contra *antea* legitur in fragmentis orationum Catonianarum p. 52, 14 et 61, 1 (ed. Iordan). Hunc igitur in modum apud Cornificium quoque et in primis Ciceronis scriptis *ante* ita, ut adverbii munere fungatur, multo saepius usurpatur quam *antea*. Paulatim demum *antea* a Cicerone praefertur, donec ad extremum *antea* multo frequentius est quam *ante* adverbium; hoc tamen cum usu iam nimium esset confirmatum, non omnino reici poterat ex sermone urbano, at rarius et plerumque in certis quibusdam formulis, velut *ante quam, multo ante* similibus adhibebatur. Apud Nepotem adverbium *ante* saepius occurrit quam *antea*.

Iam singulos enumerabimus locos. Et apud Cornificium quidem *antea* in primis tribus libris nusquam deprehendi, *ante* adverbium in libro primo quater, in libro secundo octies, in tertio sexies: in libro quarto *ante* decies quinquies, *antea* bis IV, 5, 7. 26, 36. Ac posteriore quidem loco *antea* cum ab ipso Kaysero excogitatum sit pro eis quae codices exhibent *at ea, ast ea* similibus, prorsus nullam habet fidem: restat igitur unus locus, quo *antea* idcirco videtur a Cornificio esse positum, ut accurate responderet praecedenti *postea*: *de eo quod postea diximus antea videamus*. Similiter apud Ciceronem in priore de inventione libro legi *ante* adverbium septies decies, in altero, ni fallor, quadragies, *antea* in neutro libro. In duabus primis orationibus ex locis iis, quibus *ante* adverbium legitur, separandi videntur ii, quibus *ante* certis quibusdam prolatum est formulis, inprimis *ante quam, multo ante, paulo ante* etc.; in his enim, ut supra diximus, posteriore quoque tempore *ante* fere semper retinetur, ut *antea quam* in Ciceronis orationibus auctore Merguetio non plus semel legatur Deiot. 30. In oratione igitur pro Quinctio legitur *ante quam* quinquies 2, 9. 15, 48. 17, 54. 26, 81. 28, 86, *ante* ablativo subiunctum semel 29, 88, praeterea quater 10, 35. 22, 71. 26, 81. 30, 92: *antea* omnino quinquies 9, 33. 10, 34. 20, 63. 24, 77. 28, 87. In oratione pro Roscio Amerino inveni *ante quam* bis 22, 60. 50, 145, *ante* ablativo subiunctum bis 7, 19. 23, 64, praeterea quinquies 9. 25. 32, 91. 34, 96. 40, 116. 49, 143: contra *antea* in hac ipsa oratione decies quater 3, 8. 4, 11. 8, 21. 15, 42. 21, 59. 22, 62. 25, 70. 31, 86. 31, 88. 34, 96. 37, 106. 41, 119 bis. 48, 140. In orationibus Verrinis cunctis, hoc est in divinatione in Caecilium, actione prima in Verrem, actionis secundae libris quinque, legitur *ante* adverbium exceptis iis locis, quibus *ante quam* et *ante* ablativo subiunctum reperitur, tricies novies, *antea* sexagies ter, eademque fere ratio est per ceteras orationes omnes. Attamen in orationibus Philippicis denuo *ante* adverbium saepius apparet quam *antea*: legi enim *ante* exceptis isdem locis, quos modo dixi, vicies, *antea* undecies. Haec res quomodo existimanda sit accuratius exponere non est huius loci; illud iam nunc dicimus, videri nobis Ciceronem in postremis orationibus non pauca denuo recepisse in sermonem suum, quae antea improbasset.

Usus similium adverbiorum *post* et *postea* inde ab initio alius videtur fuisse (cf. Brix ad Plauti Trin. 568); *postea* enim apud Cornificium et in primis Ciceronis scriptis simul

et pari fere numero cum *post* adverbio usurpatur; legitur enim, ut unum afferam exemplum, in priore de inventione libro *post* septies, *postea* sexies; eademque ratio per omnes latinae linguae aetates (veluti apud Nepotem etc.) remansit. Alia autem condicio est verbi

posterius, quod apud priscae latinitatis scriptores non solum de duabus dicitur actionibus inter se respondentibus (velut Plaut. Epid. 2, 2, 76), sed obscurata atque neglecta comparatione communi quodam sensu idem fere significat quod *postea*: Pl. Amph. 2, 2, 156. Asin. 1, 1, 48; Ter. And. 3, 2, 29. Adelph. 2, 1, 8; Titin. com. 154 pag. 155 R; Pompon. com. 89 pag. 239 R; item apud Corn. I, 4, 6. II, 10, 15. 28, 45. IV, 12, 18. 37, 50 (seclusit Kayserus). 39, 51; Cic. inv. I, 23, 33. 24, 35. 51, 97. Quinct. 5, 19. Verr. II, 4, 29, 66. Tull. § 56. Brut. 83, 288; item in Ciceronis epistulis: ad Att. 6, 1, 19 *verum haec posterius.* 9, 10, 5 *cui p. poteris prodesse.* ep. ad fam. 12, 23, 1 et 15, 16, 3 et ad Attic. 4, 4^b, 2 *sed haec posterius*; Nep. Paus. 5, 5; Lucr. 2, 182. 5, 155. 993. 1111. 1256. 1284. 6, 827. 1199; Verg. cul. 8; Amm. 26, 5, 8 etc. Cf. Neue II^2 p. 690. Videtur igitur Cicero in posterioribus (praeter epistulas) scriptis ad exprimendam simplicem notionem praecipue uti *post postea*, tertia voce *posterius* ita tantum, ut duae inter se respondeant actiones aut res, hoc est ut *posterius* referri possit ad certum aliquod prius; cf. inv. II, 49, 145 *utra lex posterius lata sit.*

§ 4.

Ut ex duabus alicuius vocis notionibus una retenta est, ita saepe cum duo aut complura praesto essent verba idem significantia, unum reiectis ceteris a Cicerone in suum receptum est sermonem.

Hac igitur ratione de duabus formis *incepi* et *coepi* sola posterior a Cicerone probata est, *incipio* autem verbi apud probatissimos scriptores eae fere leguntur formae, quae a praesentis stirpe ductae sunt. Contra apud priscos scriptores itemque in aureae aetatis initiis omnia huius verbi tempora formari poterant: legitur enim *incepi etc.* apud Pl. Amph. prol. 7. Asin. 1, 1, 112. Cas. 2, 1, 16. Men. 2, 3, 80. Rud.

2, 5, 5. Truc. 2, 5, 12. 14; Ter. And. 5, 1, 13. Eun. 4, 4, 57. Adelph. 2, 2, 19; Cat. r. r. 48, 2; Pompon. com. 69 pag. 236 R; Claud. Quadr. pag. 225, 12 P; Corn. II, 1, 2. III, 10, 17 (idem dixit *coepi etc.* I, 9, 14. 12, 21. IV, 25, 34 bis. 50, 63. 51, 65. 55, 68 bis); Cic. Verr. II, 2, 76, 187 (idem dixit *coepi etc.* inv. II, 31, 96. 51, 154 etc.); Varr. r. r. 1, 30; Verg. Aen. 3, 8; Vitruv. pag. 154, 23 R; etc. etc. (cf. Antibarb. pag. 568 sq.).

De tribus adiectivis *externus extrarius extraneus*, quae apud Cornificium et in Ciceronis de inventione libris simul et pari fere notione leguntur, unum *externi* vocabulum Cicero in posterioribus scriptis plerumque adhibuit. Legitur autem *extrarius* apud Ter. Phorm. 4, 1, 13 (ubi contrarium significat *domestico*; cf. Paul. Festi pag. 78 M *qui extra focum sacramentum iusque sit*); Afran. com. 324 pag. 206 R; Corn. I, 14, 24. II, 13, 19; Cic. inv. II, 56, 168. 59, 177 bis. 178; Lucr. 4, 276; Quintil. 7, 2, 9. 7, 4, 9; Suet. Vesp. 5; Iavolen. dig. XXXVIII, 2, 36; Apul. apol. 15 p. 23, 4 Krueger. 40 p. 51, 6. 68 p. 79, 10. flor. 18 bis (p. 29, 10. 29, 22 K). metam. 8, 22. de deo Socr. 3 p. 7, 17 Goldb. de dogm. Plat. 2, 12; Papinian. dig. XXVII, 1, 28 § 1. XXXI, 78 § 3. XLVIII, 5, 40 (39) § 1. XLVIII, 18, 17 pr.; Cyprian.; etc.; cf. gloss. Labb. *extrarius* ξένος. *Extraneus* inveni apud Corn. III, 2, 2 ter. 7, 14. IV, 8, 11 (ubi *verba extranea* contraria sunt *propriis*). 31, 42 bis[1]; Cic. inv. I, 22, 32. id. fragm. Oecon. apud Colum. XII praef. 4 *extranea exercitatio* (si modo Ciceronis verba sunt). de orat. 2, 11, 46; auct. orat. »pridie quam etc.« § 9; Publil. Syr. 13 pag. 305 R; Liv. (teste Hildebrandio); Liv. epit. 57; Vitruv. pag. 145, 9 R; Cels. 1 prooem. sub

[1]) Quam hoc loco habemus adnominationem duobus verbis similibus laudandi et laedendi effectam, in qua *laedere* idem fere significat quod *vituperare* (*et in laudando et in laedendo*; cf. Corn. II, 28, 45 *item vitiosum est in rebus comparandis necesse putare alteram rem vituperare, cum alteram laudes, quod genus si — alteros laedat; non enim necesse est, si alteros praeponas, alteros vituperare*), eam ex sermone vulgari profectam esse recte suspicatur Landgraf l. l. pag. 12; exemplis ab eo diligenter collatis adde auct. decl. Sall. in Cic. 4, 7 *Bibulum — laedis, laudas Caesarem.*

finem (p. 12, 31 Dar.): Plin. n. h. 28, 3 (7), 39: Tac. Agr. 43. ann. 4, 11: Plin. paneg. 37 (p. 346, 17. 347, 11 Keil); Suet. Aug. 64. Claud. 4. 9; Gell. 1, 11, 14. 5, 19, 1: Apul. apol. 20 p. 29, 9: Iustin. 1, 10, 14. 5, 9, 12; Tertull. (tres et viginti locos enumerat Oehlerus); Cyprian.; Spartian. Hel. 5, 11; Acron ad Horat. art. poet. 212 (vol. II p. 611, 11 Hauthal): Vulg. etc.: denique in Iurisconsultorum sermone hoc vocabulum fuit sollemne, cf. Dirkseni Manuale s. v. et Heumanni *handlexicon zu den quellen des roemischen rechts* s. v., Elversii *promptuarium Gaianum* s. v. Praeterea cf. *extraneasse* apud Apul. apol. 97 (! ita Elmenhorstius, *exterminasse* Colvius). *Externus* dixit Corn. III, 6, 10. 7, 13 bis (*externae res*; paulo infra 7, 14 idem dixit *extraneae res* eadem significatione).

Hac ratione de qua supra exposui ex verborum maxime usitatorum numero a Cicerone postea eiectum est

1) *Auscultare*, cum *audire* sufficere videretur. Legi semel apud Ciceronem Rosc. Am. 36, 104 *mihi ausculta* (cf. Woelfflin l. l. p. 143). Haec autem dicendi formula in comicorum sermone sollemnis erat: cf. Brix ad Plaut. Trin. 662.

2) *Abscondendi* verbum quamquam in posterioribus quoque Ciceronis libris reperitur, tamen omnino raro apud illum deprehendi auctor est Allgayerus Antibarb. pag. 51; cf. Rosc. Am. 41, 121 *est quiddam quod occultatur; quod quo studiosius ab ipsis opprimitur et absconditur, eo magis eminet et apparet*; ceteris autem omnibus apud Ciceronem locis huius verbi aut perfecti participium aut huius participii adverbium inveni: Catil. 3, 1, 3. dom. 54, 138. Phil. 2, 42, 108. nat. deor. 2, 26, 66; inv. II, 23, 69. fin. 3, 1, 2. Item Caesar et Livius hoc verbo prorsus abstinuerunt: malebant enim optimi scriptores dicere *occultare abdere*. Apud Cornificium *abscondendi* vocem bis inveni: IV, 52, 65 *heus, inquit Gorgiae pedisequo puerorum, absconde pueros*, IV, 6, 9 *fontes maximos penitus absconditos*.

3) *Auxiliandi* verbum legitur apud Corn. IV, 27, 37 *nihil Numantinis vires corporis auxiliatae sunt, nihil Carthaginiensibus scientia rei militaris adiumento fuit, nihil Corinthiis*

erudita calliditas praesidii tulit, nihil Fregellanis morum et sermonis societas opitulata est: apparet variandi causa hoc loco positum esse *auxiliari*. Cicero hoc verbo semel usus est fam. 5, 4, 2 *quodsi mihi tua clementia opem tuleris, omnibus in rebus me fore in tua potestate tibi confirmo; sin mihi neque magistratus neque senatum neque populum auxiliari — licuerit etc.*; hoc quoque loco orationis variandae causa *auxiliari* usurpatum est. Ceterum Cicero praetulit *adiuvare, opem ferre, adiumento esse*, similia: cf. Antibarb. p. 187 et e. g. Vitr. 5, 8, 2. Castrense vocabulum fuisse *auxiliari* suspicatur Woelfflinus.

4) *Conspicari* semel deprehenditur apud Corn. I, 11, 18 *Ulixes intervenit, occisum conspicatur*. Cicero, cum *conspiciendi* vox sufficere videretur, verbum illud sermone suo exclusit, contra recepit e. g. Caesar b. gall. 1, 25. 2, 26. 2, 27. 5, 9. 49, 6. 17, 39. 7, 84. b. civ. 1, 24. 2, 6. 22. (idem *conspicere* dixit duodecies).

5) *Depeculari* cum praeter *spoliare privare* alia non necessarium esse videretur, et ipsum in posterioribus libris excepto uno loco a Cicerone reiectum est: Corn. IV, 27, 37. 39, 51. Cic. Verr. act. I, 4, 11 (ubi *depeculatus est* codd. deter., scholiast. Gronov., edit. Orell.). id. ib. I, 5, 14. act. II, 4, 17, 37. 4, 36, 79; fin. 3, 9, 32 *fana depeculari*, quae locutio quasi sollemnis videtur remansisse: forma *depeculari* notione passiva [1]) legitur apud Coel. Antip. pag. 164, 9 P. Cf. *depeculator* Cic. Verr. I, 1, 2. Pis. 40, 96. de or. 3, 27, 106; Ambros. in psalm. 40, 27; *depeculatus -us* Pl. Epid. 3, 4, 83 (in loco interpolato); Paulus Festi pag. 75, 11 M *depeculatus a pecore dicitur; qui enim populum fraudat, peculatus poena tenetur*.

6) *Ditare* ex prosae orationis auctoribus primus adhibuit Cornificius IV, 53, 66 *ego illa plurimis tropaeis ornata, triumphis ditata certissimis, clarissimis locupletata victoriis etc.*, quo loco orationis variandae causa *ditare* positum est. Cicero cum dicere mallet *locupletare, divitem facere*, similia, illud

[1]) Apud Lucilium XXVI, 72 M nunc C. Lachmannus et L. Muellerus cum Ludov. Ferd. Schmidtio legunt *despeculassere* pro eo quod antea vulgo ferebatur *depeculassere*, O. Ribbeckius *depopulassere*.

verbum in suum sermonem non recepit; cf. Antibarb. pag. 375 sq. Saepius hoc verbum legitur cum alibi tum apud Iurisconsultos (cf. Dirkseni Manuale) et in Vulg.

7) Cicero secundum ea, quae ipse professus est or. 47, 157 (*non scire quidem barbarum iam videtur, nescire dulcius*), plane evitavit *non scire*. Quod et apud poetas comicos legi notissimum est et semel deprehenditur apud Corn. IV, 27, 37 *quom dicimus nos praeterire aut non scire aut nolle dicere id sqq.*; plura congessit exempla Allgayerus Antibarb. pag. 1049.

Tum praecipue cum duo praesto erant eiusdem simplicis verba composita idem fere significantia, alterum a Cicerone improbatum, alterum receptum est. Veluti

1) *Absumo* per omnes litterarum latinarum aetates apud multos legitur scriptores; inveni enim, ut brevi utar enumeratione, apud Plaut., Ter., Acc., P. Cornel. Scip. (apud Gell. 6 (7), 11, 9): Varr., Lucr., Sall., auct. b. Alex., Catull., Verg., Hor., Propert., Ovid., Liv., Iust., Vell. Pat., Val. Max., Sen. min., Curt., Colum., Plin. mai., Valer. Flacc., Sil. Ital., Quintil., Tac., Plin. min., Suet., Flor., Capitolin., Ammian., Veget., Iurisconsultos, Vulg., etc. etc. Contra Cicero hoc verbum duobus tantum locis admisit: Quinct. 10, 34 *ne dicendo tempus absumam*, Tusc. II, 8, 20 *corpus clade absumptum* (in loco ex Sophocle translato); nec minus Caesar et Cornelius Nepos hoc verbo prorsus abstinuerunt. Utuntur autem optimae notae scriptores altero verbo composito *consumo* [1].

2) *Adedo* legi apud Sisenn., Verg., Hor., Prop., Ovid., Liv., Val. Max., Colum., Lucan., Petron., Val. Flacc., Sil. Ital., Quintil., Tac., etc. etc.; apud Ciceronem non plus bis: Quinct. 12, 40 *adesa pecunia*, Tusc. II, 10, 24 *adesum iecur* (in loco ex Aeschylo verso). Aureae aetatis scriptores ut huius verbi notionem exprimant, aliis utuntur verbis, velut

[1] Ipsum *consumendi* verbum Cornificius ita usurpat, ut dicat et *consumere aliquid in re* (III, 2, 3. 8, 15. 23, 38. IV, 7, 10. 8, 11 bis. 12. 12, 18. 16, 23. 50, 63) et *in rem*. Haec autem structura, quam Cicero evitasse videtur, apud ipsum Cornificium multo rarius legitur quam illa superior: II, 27, 43. III, 14, 25. Memorabilis est locus I, 3, 4 *inventio in sex partis consumitur*, ubi *consumitur* idem fere exprimit quod *dividitur*. Cf. Antibarb. pag. 284 sq.

comedo consumo, quamquam non satis illi respondent: cf. Non. pag. 70, 32 M.

3) *Antistare* [1] (pro quo verbo probatissimi auctores dicere malebant *praestare*) legi apud Enn. trag. 197 pag. 42 R; Cat. r. r. 156, 1; Metell. Num. apud Gell. 12, 9, 4; Claud. Quadr. pag. 208, 6 P; Cic. inv. II, 1, 2 *multum — omnibus antistiterunt*. rep. 3, 18, 28 (praeter haec duo nulla inveni apud Ciceronem exempla, idem dixit *praestare bestiis* inv. I, 4, 5): Lucr. 5, 22; Nep. Arist. 1, 2; Catull. 9, 2; Mel. 2, 5. 3, 6, 7; Sil. Ital. 9, 538. 11, 65. 14, 142; Tac. ann. 2, 33; Apul. met. 4, 8. 4, 14. 8, 2. 11, 28. id. Ascl. 29; Gell. 6 (7), 5, 1; Tertull. (septem locos enumerat in indice Oehler); Lactant. inst. 7, 2, 5. 7, 15, 13; Auson. perioch. Iliad. 23; Symm. epist. 1, 1. 4, 20; cod. Theodos. I, 15, 7 (= cod. Iustin. 1, 38, 1): Mart. Cap. 9, 208: Fulgent. expos. antiqu. serm. pag. 563 (cf. Cassiodor. de orthogr. pag. 2294 et Neue II² pag. 735): praefat. codicis Salmasiani in Riesii anth. lat. vol. I p. 69, 3; gl. Plac. pag. 5, 1 D *antistant meliores sunt*, gl. Labb. *antesto* προίσταμαι.

4) *Eminiscor* (idem quod *comminiscor* apud probatissimos scriptores) inveni apud Corn. II, 7, 10. 8, 12; Varr. l. l. 6, 6 § 44 M (? vid. K. O. Muellerum ad h. l. et Nipperdeium Spicileg. I p. 33 = opusc. p. 39); Nep. Alc. 2, 1 (ubi *eminisci* restituit Heusingerus, *comminisci* Nipperdeius); Apul. apol. 102 p. 113, 3 Krueger; cf. not. Tiron. 125 *eminiscitur comminiscitur reminiscitur subminiscitur*; gloss. Isid. 615 *ementum excogitatio; eminiscitur in memoriam reducit.*

5) *Exputo* (*computo* apud probatissimos scriptores) apud Pl. Trin. 2, 1, 8; inc. inc. trag. 177 pag. 261 R *exputando evolvere* (quae verba nescio an cum Kaysero ipsi Cornificio sint adscribenda: cf. Ribbeck ad h. l.); Corn. II, 30, 49; Planc. ap. Cic. fam. 10, 24, 6; auct. decl. Cic. in Sall. 5, 14.

6) *Exscribo* nonnumquam idem fere valere quod *perscribo* persuadet praecipue hic locus Cornificianus: II, 10, 14 *legum et stipulationum breviter exscriptarum, in quibus intellegantur scriptorum voluntates, expositione.* Praeterea cf. Pl. Rud.

[1] Cf. Ritschelius opusc. II pag. 559.

prol. 15. 21; Cic. fragm. Oecon. apud Col. XII (vol. XI pag. 52 K) *adnumerata ipsi exscripsimus*; Liv. 1, 20, 5: quamquam me non fugit posse hos locos ex parte alio quoque modo explicari.

7) *Transfugio* verbo postquam semel usus est Cicero (Quinct. 30, 93 *non ab adflicta amicitia transfugere*), in posterioribus libris praetulit *perfugio*; exemplis a Koehlero act. Erl. I pag. 388 congestis adde Modestin. dig. XLIX, 16, 3 § 11 et locos tredecim Vulgatae, quos enumerat Dutripon in Concordantia.

Simili modo verbum aliquod compositum saepe a Cicerone reiectum est tum, cum eam quam illud continebat notionem exprimere licebat verbo simplici sequente ea, quacum verbum illud compositum erat, praepositione: veluti pro *astituere aliquid ad aliquid* dicebatur *statuere aliquid ad aliquid*. Exempla proponimus haec:

1) *Astituo* apud Pl. Capt. 4, 2, 66. Cas. 5, 2, 48; Acc. trag. 55 pag. 142 R; Corn. III, 20, 33 *reum ad lectum eius astituemus*; Apul. met. 3, 2. 9, 11.

2) *Denomino* Corn. IV, 32, 43 *eo quod continet id quod continetur hoc modo denominabitur* (ubi *denominabitur* falsum esse suspicatur Kayserus; substantivum *denominatio* legitur apud Corn. IV, 32, 43 pr.; cod. Theodos. VI, 4, 13 § 2; Euanth. de comoed.; Boeth.; cf. etiam de Vit in lexico); Hor. carm. 3, 17, 3; Quintil.; Gell.; Iuriscons. (cf. Dirkseni Manuale s. v.). Cicero dixit *nominare aliquid ex re, a re*; cf. Antibarb. pag. 339.

3) *Inseco* apud Corn. III, 14, 24 *inserere atque insecare in animis auditorum*. IV, 49, 62 *aliquid mali — dentibus insecare*; Vitruv., Liv., Colum., Plin. mai., Gell., etc.; deest apud Ciceronem.

4) *Interluceo* apud Corn. III, 19, 31 *ut distincti interlucere possint*; Verg. Aen. 9. 508; Liv. 1, 42, 4. 29, 14, 3; Quintil. decl. 12, 2; Frontin. 2, 3, 16; Tac. Germ. 45, 4; Solin. 20, 3; Veget. r. mil. 1, 26 pag. 26, 16. 3, 14 pag. 96, 20 L: nusquam deprehendi neque apud Ciceronem neque apud Caesarem.

5) *Intersero* apud Corn. IV, 23, 32 *si raro interseremus has exornationes*; Nep. Milt. 4, 1; Ovid. met. 10, 559; hoc verbum et ipsum apud Ciceronem et Caesarem plane evitatur.

Huc adicimus 6) *dedita opera* (rarius *opera dedita*), quae locutio idem fere significat quod *de industria*. Legi autem *dedita opera* apud Naev. com. 8 pag. 6 R; Pl. Cist. 4, 1, 18. Trin. 1, 2, 29. Poen. 3, 1, 5; Ter. Eun. 5, 2, 2; Afran. v. 373 pag. 212 R; Pompon. com. v. 142 pag. 246 R; Corn. II, 30, 47 *facta enim et dedita opera comparata oratio videbitur esse artificii significandi — causa*; Cic. Rosc. Am. 36, 104 *ut ea dedita opera a nobis contra vosmet ipsos facere videamini*. de or. I, 20, 91. III, 5, 17. Att. 8, 14, 1. 10, 3. 11, 8, 2. 15, 4, 4; Anton. apud Cic. Att. 10, 8 A 2; Liv. 2, 29, 2. 2, 51, 5. 3, 30, 2. 3, 63, 6. 26, 17, 9; Colum. 12, 4, 5; itemque *opera dedita* Cic. de or. III, 50, 193; cf. Charis. II pag. 197, 9 K. Hanc autem dicendi formulam magis cotidianae vitae propriam fuisse probare mihi videtur Cicero Att. 15, 4, 4 *itaque misi dedita* (sc. *opera*, quod contra cod. auctoritatem nescio an sine iusta causa a Baitero additum sit); cf. Paul. Festi p. 70, 5 M et gl. Labb. *dedicta* ἐπίτηδες καὶ ἰδότα, corr. Vulcan. *dedita opera* (quod substantivum ne hic quidem recte additum esse videtur) ἐπίτηδες καὶ εἰδότα. De simili vocis *opera* ellipsi vid. Brixium ad Pl. Trin. 578 et Lorenzium ad Most. 249; eandem nunc video sententiam esse Landgrafii l. l. p. 25.

Prorsus eodem modo Cicero, ubi duae praesto erant locutiones ex compluribus verbis constantes, unam recepit in sermonem suum, alteram reiecit:

1) *Prae se gerere aliquid* bis deprehenditur in libris de inventione II, 9, 30 *nam adfectiones quidem perspicuam solent prae se gerere coniecturam*, ib. II, 52, 157 *est porro quoddam ex horum partibus iunctum, quod — prae se gerit quandam utilitatem*; item apud auct. b. Afr. 10, 4; August. de lib. arb. 3, 21, 61, etc. In posterioribus scriptis Cicero constanter ait *prae se ferre aliquid*; cf. Antibarb. pag. 499.

2) Cic. Quinct. 8, 31 *iniuriam facere fortissime perseverat*, Rosc. Am. 50, 146 *facis iniuriam, Chrysogone, si etc.*, fam.

3, 8. 3; cf. Woelfflin l. l. pag. 143. Postea Cicero dicit *facis iniuste* Flacc. 17, 41. *Iniuriam facere* saepe aiunt poetae comici prisci, numquam *iniuste facere*.

3) *Poenam sumere* semel admisit Cicero inv. II, 36. 108 *pro maleficio poenam sumi oportere*; item Vergilius Aen. 2. 585 sq. Postea Cicero ait *supplicium sumere* et similia: cf. Antibarb. pag. 1110.

4) *In ordinem redigere aliquid* scripsit Corn. III. 9. 16 *quoniam dispositio est, per quam illa, quae invenimus, in ordinem redigimus etc.*, quo loco *in ordinem redigere aliquid* idem fere significat quod *ordinare aliquid*; eandem habet notionem apud Quintil. 8. 3, 9. Commemorandum autem est huius locutionis vim plerumque aliam esse, qua exprimat idem fere quod *in ordinem cogere aliquem* vel *aliquid*, velut apud Suet. Vesp. 15: Plin. ep. 2, 6, 5 etc., cf. Antibarb. pag. 812. Cicero, a quo *in ordinem redigere aliquid* nusquam quod sciam adhibetur. ut sensum exprimat huius dicendi formulae. aliis utitur verbis vel locutionibus: *ordinare explicare aliquid, res in ordinem adducere*, similibus.

Eadem ratione, qua in verbis. Cicero usus est in *substantivis* eligendis. ut cum duo deprehenderet nomina substantiva idem significantia, saepe unum reiecto altero in usum suum converteret. Exempla afferimus haec:

1) *Vehementia* Corn. IV, 19, 26 *inter huius generis et illius superioris vehementiam hoc interest etc.*; item apud Plin. mai. Cicero ut exprimeret huius vocabuli notionem aliis usus est verbis. velut *vis ardor impetus acrimonia* similibus: cf. Antibarb. pag. 1184.

2) *Consequentia* Corn. IV, 53, 67 *ea (significatio) fit per exsuperationem, ambiguum, consequentiam, abscisionem, similitudinem*; 54, 67 *per consequentiam significatio est, cum res quae sequuntur aliquam rem dicuntur*; item Cicero semel hac voce usus est div. in Caec. 1, 56 *consequentia eventorum*: sed postea ad exprimendam huius vocis significationem varias adhibuit rationes, vid. Antibarb. pag. 274. *Consequentiae* verbum legi etiam apud Frontinum, Gellium, Arnobium, Iurisconsultos.

3) *Despectus -us*, cuius substantivi. si contemptionem significat, praeter dativum singularis numeri nulla exstat forma, semel obviam fit apud Corn. IV, 39. 51 *filii parvi privati patris auxilio ludibrio et despectui paternis inimicis erunt oppositi*; ceteris omnibus quibus haec vox deprehenditur locis una legitur formula *despectui esse alicui* vel *despectui haberi* (ita Aurel. Vict.). Cicero cum abstineret hoc vocabulo. maluit dicere *despicatui, contemptui esse alicui*, aut ubi aliis opus erat casibus, *despicientiae* nomen usurpavit: cf. Antibarb. pag. 347.

4) De vocabulo *captio* idem significante quod *fraus*, quo semel usus est Cicero Quinct. 16. 53, cf. Landgraf l. l. pag. 26 et lexica.

Praecipue illud videtur hac in re esse memorabile, quod Cicero, si duo praesto erant nomina abstracta alterum in *-tas* alterum in *-tudo* desinens, saepe id quod *tudo* suffixo terminabatur postea aut omnino reiecit aut rarius adhibuit, altero magis magisque usus est. Veluti *firmitudo* apud Cornificium septies legi, numquam *firmitas*; contra Cicero postquam in primis quos composuit libris *firmitudo* aliquotiens usurpavit, postea, cum magis placeret *firmitas*, exceptis epistulis illud verbum respuit. Fusius de hac re disputavimus et plura congessimus exempla in capite quarto, quo de verborum formatione agetur.

Adverbia afferimus haec:

1) *Cum primis* apud Cic. inv. II, 1, 1 *Crotoniatae quondam cum — in Italia cum primis beati numerarentur etc.*, Quinct. 6, 24 *L. Albius — vir bonus et cum primis honestus*, ib. 18, 58 *profectus est una L. Albius, homo cum primis honestus*; reliqua exempla, quae ad unum omnia in prioribus inveniuntur orationibus, collegit Hellmuth act. Erl. I pag. 116: in posterioribus scriptis, cum magis placeret *inprimis*, semel ut videtur hoc adverbio usus est Cicero Brut. 62, 224 *cum primis ridiculus*; nam de div. I, 32, 68, ubi vulgo ferebatur *cum primis hominem prudentem atque doctum*, nunc Christius ex codicum auctoritate restituit *cum primo sqq*. Cf. Symm. ep. 2, 7. 72 *cum primis honoratus et fortunatus*; Plac. gloss. p. 27, 2D; Hand Turs. II pag. 172. Antibarb. pag. 311. Front. p. 74 N sub finem etc. Ceterum *certum cum primis* Pl. Truc. 3, 1, 15 in codicibus *BCD* legi monuit Studemundus in scholis.

2) *Ingratiis ingratis*, quod ipsum sicut *cum primis* ex ablativo nominis casu in adverbii notionem abiit eiusque munere fungitur, raro adhibetur a probatissimis scriptoribus, qui adiectivum *invitus* praeferebant: Cic. Quinct. 14, 47 *extorquendum est invito atque ingratis*; coniuncta igitur sunt hoc loco vocabula duo synonyma; cf. quae alia collegerunt exempla Hand Turs. III pag. 379 sqq., Neue II² pag. 672; Iavolenus dig. XVII, 1, 36 § 2; Tertull. (cf. indicem Oehleri); gl. Plac. pag. 58, 3 D *ingratis sine voluntate*.

3) *Inpraesentiarum* sermonis plebei est (cf. Hand Turs. III pag. 225 sq., Neue II² pag. 681 sq., Woelfflin l. l. pag. 147). Legitur apud Cat. r. r. 144, 4; Fann. pag. 138, 2 P; Corn. II. 11, 16 *inpraesentiarum hoc intercedere non alienum fuit* (idem dixit *in praesentia* III, 12, 22. 16, 28); Nep. Hann. 6, 2: Tac. ann. 4, 59; Front. ad M. Caes. IV, 8 pag. 71, 6 N; Apul. flor. 9. 16 bis. 17. 18. de deo Socr. 11. 14. 19. apol. 48. 53. 65. 91; Ulp. dig. XI, 1, 11 § 8. XXVII, 8, 1 § 15. XLIII, 5, 1 § 1. XLIII, 8, 2 § 31. XLIII, 24, 1 § 9; Minuc. Fel. Octav. 5, 1; Symm. epist. 1, 94. 3, 48; Sidon. epist. 2, 3. 3, 6. 4, 3. 5, 9. 7, 9. 8, 9. 9, 9; Cyprian.; Vulg. genes. 50, 20; exod. 22, 15; Levitic. 8, 34; deuteron. 5, 3; 2 par. 18, 4 al.; cf. gl. Plac. pag. 56, 4 D *impraesentiarum pro in praesenti*. Idem exstat Cic. inv. I, 30, 49 in cod. Greuenb. Grut. et e corr. in Leid. II; sed cum Cicero dicere soleat *in praesenti* inv. I, 17, 24 vel *in praesentia* inv. I, 26, 39. 33, 56. II, 45, 134. 58, 174 bis, falsam esse illam lectionem tuo iure concludas, cum praesertim ii codices, ex quibus pendet potissimum crisis in libris de inventione exercenda (Herbipolitanus et Parisinus nec non maiore librarii licentia insignis Sangallensis), contradicant.

4) *Interdiu* semel inveni apud Cornificium II, 4, 7 *tempus ita quaeritur: — noctu an interdiu — factum esse dicatur*, nusquam apud Ciceronem, qui ut exprimeret huius adverbii sensum, dicere malebat *die* aut *luce*; vid. Antibarb. pag. 611.

5) *Necessum est*, quod apud priscos scriptores latinos, inprimis apud Plautum haud ita raro deprehenditur, Cornificio recte restituit Bergkius *de Plautinis fabulis emendandis* (in ind. schol. hib. Hal. 1858/59 pag. VII) IV, 9, 13 (in fin.) ex auctoritate codicis optimae notae Herbipolitani (*h* apud Kayserum); nam ea quoque quam alii complures praebent codices lectio *necessarium* videtur corrupta esse ex *necessum*. Eandem formam (*necessum est*) ex eodem codice Herbipolitano reddidit Cornificio IV, 28, 38 Otto Sievers (in Mus. Rhen. vol. XXVIII p. 580). Contra apud Ciceronem, cui *necesse est* sufficere visum est, plane deest *necessum*; cf. Antibarb. pag. 745.

6) *Nequiquam* adverbio Cicero, cum postea praeferret *frustra*, semel usus est Quinct. 25, 79 *et sero et nequiquam pudet*, quam locutionem Klotzius putat ex vetere aliquo poeta comico sumptam esse (veluti Ter. Heaut. 2, 3, 103 *sero ac nequiquam voles*); cf. Antibarb. pag. 749. Neue II² pag. 642 sq. Hand Turs. IV pag. 168 sqq.

7) De *perperam* adverbio eiusque usu cf. Landgraf l. l. p. 29 (adde Sulp. Vict. rhet. p. 313, 6 H), Hellmuth act. Erl. I p. 113 sq.

8) *Repentino* (probatissimi scriptores dicunt *repente*) legi apud Plaut. Pseud. 1, 1, 37 (idem octies *repente*); Afran. vers. 82 pag. 175. v. 397 pag. 215 R (idem dixit *repente* v. 54 pag. 172 R); Cic. Quinct. 4, 14 (in eadem oratione 11, 39 *repente*); Caes. b. gall. 2, 33 (*repente* b. gall. 1, 52. 5, 17. 6, 12. b. civ. 1, 14. 63); Gran. Licin. pag. 10, 19 ed. Bonn. (*repente* apud eundem 28, 7. 28ᵇ, 9); Apul. flor. 3, 16. de mund. 16; Lactant. inst. 1, 11, 55 (ubi libri partim *repentine*); cf. Charis. 2, 14, 200, Neue II² pag. 645 sq., Hellmuth act. Erl. I p. 114. Cornificius ait *repente* IV, 47, 60.

9) *Satius*, adverbii *satis* comparativus, qui fere semper in una adhibetur formula *satius est*, magis magisque a Cicerone ceterisque optimae notae scriptoribus, qui *melius est* praeferebant, videtur reiectus esse. Hanc autem locutionem maxime vulgaris esse sermonis illud testimonio est, quod saepissime legitur apud poetas comicos, velut ex Plauto septemdecim locos enumerat in indice Naudetus; praeterea cf. Ter. And. 2, 1, 7. Eun. 4, 7, 2. Heaut. 3, 1, 66. 5, 2, 16. Phorm. 5, 8, 63. Hec. 5, 1, 4. Adelph. 1, 1, 4. 1, 1, 33. 2, 2, 26; Nov. com. 16¹ pag. 256 R. Item *satius est* octies legitur apud Cornificium I, 9, 14. 15, 25 bis. II, 14, 21. 26, 40.

28, 45. IV, 26, 36 bis. Contra Cicero postquam in primis quos scripsit libris hoc vocabulo aliquotiens usus est, in reliquis omnibus exceptis epistulis abstinuisse eo videtur: legi enim inv. II, 24, 73 bis. 76. 32, 100. Rosc. Am. 52. 150. Verr. II, 2, 36, 88. Att. 7. 1, 4: item *satius* deest omnino apud Caesarem. Ex ceteris scriptoribus latinis adhibuerunt *satius* e. g. Varr. r. r. 1, 2, 26: auct. b. Afr. 25: Lucr. 5. 1127; Sall. Iug. 42, 3: Nep. Paus. 5, 1. Cim. 3. 3. Ag. 2, 1 et saepius; Verg. ecl. 2. 14: Liv. 3, 70, 4. 26, 29, 4. 34. 33, 7. 37, 26, 13. 42, 23, 10 (cf. Kuehnast, synt. Liv. pag. 210); Plin. n. h. 23, 1 (26): Petron. 61: Mart. 10, 37, 6; Front. Marc. Caes. 4, 3 pag. 62 N: Pompon. dig. XLV, 1, 111 (ex coniectura): Ulp. dig. XI, 7, 14 § 1. XLVIII, 19. 5 pr. L, 10, 5 § 1: app. sent. (Syr.) vers. 301 pag. 390 Ribb. etc. etc.

10) *Setius* (vel *secius*) vocabulum ex probatissimis scriptoribus alii in usum suum contulerunt, alii aspernati *minus* dicere malebant. Duae inprimis dicendi formulae *quo setius* et *nihilo setius* inveniuntur apud Corn. I, 12, 21. III, 17. 30. IV, 3. 4. 37. 49: Cic. inv. II, 45, 132. 57, 170, praeter quos duos locos nulla ego apud Ciceronem deprehendi exempla. Ex contrario *setius* saepe legitur e. g. apud Caesarem et apud Nepotem; vide b. gall. 1, 49, 4. 4, 17. 4. 5, 4, 3. 5, 7. 3. b. civ. 2, 7, 4. 3, 26, 3: Nep. Milt. 2, 3. Con. 2, 4. 3, 3. Dion 8, 5. Eum. 5, 1. Hann. 7, 1. Att. 2, 2. 22, 3. Praeterea *setius* (vel *sectius* vel *secius* vel *sequius*) exstat in iis scriptorum locis, de quibus egerunt Fleckeisenus Mus. Rhen. VIII p. 221 sqq. et Neue II² p. 691 sq., quibus e. g. addas Suet. Caes. 8. Vesp. 6. Dom. 2. 12; Charis. II pag. 209, 11 K *οὐδὲν ἧττον nihilo setius*; gl. Plac. *nihilo setius*, *nihilo minus vel non aliter*: gl. Labb. *secius ἀλλοιοτέρως ἧττον*. Cf. etiam Weihrauch in Philolog. XXX p. 631 sq.. Muther *Sequestration und Arrest* (1856) p. 6 sqq.

11) *Seorsum* Corn. III, 4, 7 *in dicendo seorsum tractandum est hoc ab illo*; Cic. rep. 6, 1, 1 *eaque dissensio civium, quod seorsum eunt alii ad alios, seditio dicitur*; num altero quoque loco hoc adverbio usus sit Cicero (fragm. Oecon. ap. Col. XII, 3 *tum iam seorsum arma ac tela seponebantur*, Bait.-Kays. vol. XI p. 52) nequit dignosci, cum liceat dubitare, utrum haec ipsius Ciceronis an potius Columellae sint verba; certe in posterioribus libris Cicero constanter dicit *separatim*. Cf. Neue II² pag. 637.

Ex *praepositionibus* unam affero:

Pone apud Corn. IV, 10, 14 *pone scaenam et in eiusmodi locis exercitata*; semel usus est hac praepositione Cicero: Tim. 10 *pone quos aut ante labantur*; ceteroqui dixit *post*. Cf. Antibarb. pag. 879; Hand Turs. IV p. 478 sqq.; Draeger synt. hist. I² pag. 599, qui vocem illam esse sermonis plebei recte videtur coniecisse; Ammian. 29, 5, 47. 15, 10, 4. 25, 1, 18 et 3, 2.

Postquam quibus artibus usi sint ii, qui Ciceronis aetate perpoliendae linguae latinae curam impendebant, cognoscere et, quid singulis litterarum latinarum aetatibus in usu fuerit, enodare studuimus, eam quae superest materiam secundum vulgaris grammaticae distributionem ad finem perducemus. Et de formarum quidem doctrina pauca, aliquanto plura de syntaxi videntur memoranda; ad extremum capita quaedam selecta ex vocabulorum formatione proponemus.

Caput II.

De vocabulorum formis.

§ 1. De nominibus.

Cum ea, qua Cornificius rhetorica ad Herennium scribere coepit, aetate aureae quae dicitur latinitatis formae ex priscorum scriptorum formis paulatim excultae fuerint et accuratius constitutae, ac ne ipsius quidem priscae latinitatis formae longe distent a probatissimorum scriptorum usu, tamen et apud Cornificium et apud Ciceronem in libris iis, quos primos publici iuris fecit, paucae quaedam inveniuntur formationes, quae plane abhorreant ab accuratioribus et severioribus iis, quibus in posterioribus scriptis usus est Cicero. Hae fere omnes derivatae sunt ad aliorum vocabulorum simi-

litudinem, quam formandi rationem vulgaris maxime sermonis propriam esse constat. Formae enim illae, quae essent rarae vel cum grammaticorum regula discrepare viderentur, in cotidiano dicendi usu commutatae sunt ad similitudinem earum, quae cum communem sequerentur regulam pervulgatissimae et in omnium ore erant. Contra Cicero cum constituendo sermoni urbano operam impenderet, ex compluribus eiusmodi formis eam plerumque legitimam ac sollemnem esse statuit, quae rarior esset.

Pauca monenda sunt a) de nominum declinatione.

1) *Die* gen. sing. Corn. II, 4, 7 *tempus ita quaeritur: quo anni, [qua hora,] noctu an interdiu, qua die qua noctis hora factum esse dicatur*, cf. Neue I² pag. 375 sqq. et inprimis pag. 379. Koehler act. Erl. I pag. 390.

2) *Pernicii* gen. sing. Cic. Rosc. Am. 45, 131 *quorum nihil pernicii causa divino consilio, sed vi ipsa et magnitudine rerum factum putamus*, ubi *pernicii* exhibent editores nisi maxime auctoritate Gellii (9, 14, 19) et Nonii (pag. 486 M): cf. Neue I² pag. 376 sq. et inprimis Hellmuth act. Erl. I pag. 109.

3) *Res*, quae forma genetivi singularis munere fungatur, in Cornificii editionibus ut nunc feruntur non invenitur: neque adsentiar Sieversio, cum in Mus. Rhen. vol. XXVIII p. 579 sq. ex auctoritate codicis Herbipolitani eam vindicandam statuerit Cornificio locis his: II, 12, 18 *num aliquis eius rei actionem — habeat*, ubi *eius res* cod. *h*; II, 26, 41 *ei rei testimonium esse quod etc.*, ubi *eius rei* codd. *n t*, *ei res* cod. *h*, quod corruptum videretur ex *eius res*. Licet enim tertio quoque loco ex eiusdem codicis *h* fide reponi posse videatur forma *res*: IV, 34, 45 *aliquando rei publicae rationes — virtute optimatium revirescent*, ubi *res publicas* cod. *h*, *res reip.* $\varrho^{2\,3}$, *resp.* codd. *oRPu*, tamen cum ne apud Plautum quidem ceterosque prisci sermonis auctores certa huius formae vestigia exstent, non dubito quin haec codicis *h* lectio ex perversa sollemnis notae *r. p.* interpretatione originem duxerit: itemque illis locis errorem potius eius agnoverim qui codicem Herbipolitanum exaravit.

4) *Alio* dativus masc. sg. Corn. II, 13, 19 *ut aliud alio iudici — placitum sit* (ubi *alii* codd. φ *v* c^2) et ipse parvam habet fidem, secundum ea quae Luchsius in Studemundi 'Studiis' I p. 331 sqq. exposuit, apud quem tamen, ut apud Neuium II² pag. 217, hunc locum Cornificianum desidero; exemplis a Neuio congestis adde Sen. de benef. 4, 32, 3 p. 82, 26 Gertz (lectione maxime dubia) et *de rebaptism.* 4 pag. 74, 17 Cypr. ed. Hartel. III *alio homini*[1]).

5) *Totae* (dat. sg. fem.) Corn. IV, 48, 61 *non enim res tota totae rei necesse est similis sit*: cf. Neue II² pag. 253 sqq. Koffmane pag. 195.

Aliis locis Cornificius usitatis utitur formis, velut *alteri* (dat. sg.) II, 19, 29 *ut alteri bestiae noceant* (vix enim hoc loco e codicis *h* lectione *altera* restituendum est *alterae*, quod in maiore solius Cornificii editione duce Halmio dederat Kayserus); III, 5, 8; *alii* (dat. sg.) II, 4, 6. 13, 19. 24, 37. III, 23, 38. IV, 20, 27; *nulli* (dat. sg.) IV, 17, 24.

Cicero, apud quem prioris illius generis formationes in ipsis primis quos scripsit libris prorsus desunt, constanter dixit *alii toti* etc.; velut *alii* inv. I, 8, 11. 9, 12. 22, 32. II, 1, 3. 7, 24. Itaque Ciceronem Quinct. 1, 5 *quod si tu iudex n u l l o p r a e s i d i o fuisse videbere etc.* non dativum, sed ablativum intellexisse censebimus, itemque Cornificium II, 11, 16 *nos vero arbitramur non modo n u l l o a d i u m e n t o esse, sed potius m a x i m o i m p e d i m e n t o*, quamquam contradicit Hellmuth act. Erl. I pag. 111 sq. (cf. Neue II² pag. 256).

6) *Celebris* (nom. sg. masc.) Corn. II, 4, 7 *locus quaeritur celebris an desertus — sit*; cf. Neue II² pag. 9; Koffmane pag. 29 sq.

7) *Haec* (nom. plur. fem.) Corn. II, 22, 34 *haec* (id est *cupiditates*) *pariunt avaritiam*, III, 23, 38 *quantulum enim haec (verborum imagines) poterunt valere*, IV, 21, 29 *haec sunt adnominationes quae etc.*, IV, 30, 41 *haec (Philoctetae sagittae) nihil aliud autem fecerunt nisi Alexandrum perculerunt*; Cic. inv. I, 28, 43 *res haec quas commemoravimus* (ubi *haec* p v[1],

[1]) Loco illo, quem affert Koffmane, *lexicon lateinischer wortformen* pag. 10, Pl. Stich. 1, 2, 13 *alio* adverbium est = *aliam in domum*.

hae s, ceteri *eae*). Cf. Neue II² pag. 207 sq.: Koffmane pag. 86.

b) Ut eos, qui primo a. Chr. n. saeculo constituendo sermoni operam dabant, ex duabus vocibus idem significantibus saepe alteram retinuisse, alteram abiecisse supra demonstravimus, idem illi quidem solebant facere, cum unius nominis duae exstabant nominativi singularis formae. Velut

1) ex duabus formis *gladium* et *gladius* illam improbavit Cicero, hanc in sermonem suum recepit. De forma *gladium* vid. Varr. l. l. 9, 49, 81: reprehendit eam Quintil. 1, 5, 16 his verbis: *gladia qui dixerunt genere exciderunt.* Legi nominativum *gladium* apud Lucil. frgm. inc. v. 85 pag. 143 M; Corn. IV, 19, 26 *gladium ad corpus adferri videtur*, ubi *gladium* cod. *e*, rell. *gladius* (ceteris quibus hoc vocabulo utitur Cornificius locis nominativi forma dignosci nequit: *gladio* I, 11, 18 bis. IV, 52, 65; *gladium* acc. IV, 52, 65): Varr. l. l. 5, 24, 116. 8, 23, 45. r. r. 1, 48, 3; gl. Labb. *gladia* ξίφη. Cf. Neue I² p. 535, Koffmane pag. 83, Stuenkel pag. 8, Mueller de priscis verborum formis Varronianis pag. 40. Cf. *gladiola* Messall. apud Quintil. 1, 6, 42.

2) *Testum* (apud probatissimos scriptores *testa*) est apud Cat. r. r. 76, 2. 76, 4. 84, 2: Corn. IV, 6, 9 *cum testo ambulans*, IV, 53, 67 *testum — non reliquit*: Plin. n. h. 30, 13 (39), 114. 32, 7 (26), 81: Petron. 136; Sulpic. Sev. chron. 2, 2: cf. vocem Italicam recentem *testo*. Praeterea in usu fuit forma *testu*, ablativus nominativi sive *testus* sive *testu*: Cat. r. r. 74. 75: Afran. v. 420 pag. 219 R: Mumm. com. 1 pag. 273 R; Ovid. fast. 2, 645. 5, 510; cf. Neue I² pag. 345 sq. 350; Koffmane pag. 193.

His adiungimus, quae de usu pronominum indefinitorum *quis* et *qui* Cornificiano, ubi coniuncta sunt cum particula *si*, investigavimus. *Si qui* enim scripsit Cornificius constanter, cum sequitur littera *s*: III, 5, 8 *si qui suadebit* (sic recte Klotzius); III, 19, 32 *si qui satis*: IV, 6, 9 *si qui se*; IV, 19, 27 *si qui spei*; IV, 48, 61 *si qui sibi*; item III, 12, 21 *si qui splendor*, ubi *qui* adiectivi munere fungitur. Contra quotienscumque alia atque *s* sequitur littera consona aut littera vocalis, non minus constanter Cornificius ait *si quis*, velut II, 20, 32 *si quis hoc modo* bis; IV, 6, 9 *si quis purpuram*; IV, 31, 42 *si commode quis eo*: ib. *si quis cum*; ib. *si quis de*; IV, 32, 43 *si quis Tarpeium*; ib. *si quis Libero*; IV, 33, 44 *si quis ei*; IV, 34, 46 *si quis Drusum*; ib. *si quis hominem*; IV, 38, 50 *si quis dixisset*; IV, 47, 60 *si quis in* etc. etc. Unus huic regulae obstat locus III, 19, 31 *si qui multa* (ubi *si qui* h e π a, *si quis* ceteri codd.), quo loco forma *qui* posita est ante *m* litteram; sed cum reliqui omnes loci congruant cum regula illa, equidem non dubito quin hic quoque emendandum sit *si quis multa*; neque tamen silentio praetereundum est altero quoque loco in codice *h* formam *qui* exstare ante litteram *m*: IV, 32, 43 *si quis Macedonas*, ubi *qui* h.

Adicimus comparativos et superlativos aliquot, qui rarius inveniuntur apud aureae aetatis scriptores (Neue II² pag. 133 sqq.):

Conducibilis comp. Corn. II, 14, 21 || *consceleratus* sup. Cic. Rosc. Am. 24, 67. Catil. III, 16 || *ignavus* sup. Cic. inv. I, 49, 92 || *immanis* comp. Cic. Rosc. Am. 26, 71 || *infans* sup. Corn. II, 11, 16 || *litteratus* sup. Corn. IV, 4, 7 || *truculentus* sup. Corn. IV, 8, 12.

Imus superlativus nunc bis legitur apud Ciceronem Rosc. com. 7, 20 *ab imis unguibus usque ad verticem summum* (cf. Hellmuth act. Erl. I p. 109 sq.) et ep. Brut. 1, 6, 4 *ad imam Candaviam*; praeterea constanter *infimus*. Formam *infimus* bis deprehendi apud Cornificium IV, 9, 13. 10, 14, qui etiam altera utitur forma *imus*: III, 14, 25 *ab imis faucibus*, III, 18, 30 *utrum ab summo an ab imo an a medio nomina eorum dicere incipiamus*, IV, 33, 45 *anhelans ex imis pulmonibus prae cura spiritum ducebat*: cf. Neue II² pag. 109.

§ 2. De verbis.

Erint (= *erunt*) legi apud Corn. III, 2, 2 (ubi cod. *p*¹ *erint*, codd. *h* ϱ¹ *erit*), III, 21, 34 (ubi *erint* cod. *p*¹); cf. Neue II² pag. 596. Hanc autem formam praecipue in cotidiano sermone usitatam fuisse inde videtur apparere, quod saepe legitur in Italae codicibus; cf. Roensch p. 521.

Confieri Cic. inv. II, 56, 169 *quod — confieri atque ad exitum perduci potest* (ubi *confieri* cod. g et Halmius); quamquam idem dixit *confici* inv. I, 16, 21. 27, 41. 42, 79. 47, 88. II, 12, 40. 56, 169 etc., qua forma Cornificius quoque usus est I, 4, 7. Cf. Neue II² pag. 611 et praeterea Colum. 11, 3, 51.

Ex *verbis deponentibus* permulta, cum apud Ciceronem induta sint forma passiva, apud priscos scriptores activam habere formam pervulgatum est: cf. Stuenkel l. l. pag. 9 sq.; Ludwig, *de Petronii sermone plebeio* pag. 25; Rebling pag. 21 ad Sen. suas. 5, 8 *hortavit*. Ego exscribenda putavi exempla haec:

1) *Adsentio* post Plautum Accium Pomponium Sisennam Cicero quoque interdum dixit: cf. Neue II² pag. 270 sq. Koffmane pag. 17. Osann ad Cic. de rep. 3, 47. Antibarb. p. 170 sq. Georges in lexico. Hellmuth act. Erl. I pag. 118. Koehler ibid. pag. 391.

2) *Pervago* semel legitur apud Corn. III, 22, 37 *pervagemus* (ubi *pervagemus* ex primae familiae codd. praebent *ph*); cf. gl. Labb. *pervago pervagor περιφέρομαι*. Saepius inveniuntur apud priscos scriptores verbum simplex *vago* et complura alia eiusdem verbi composita; cf. Neue II² pag. 327. Koffmane pag. 200 sq.

3) *Ludificare* Cic. Quinct. 17, 54 *latitare ac diutius ludificare*; cf. Neue II² pag. 294 sq. Koffmane pag. 108 sq. *Ludificari* sensu activo dixit Cicero Rosc. Am. 20, 55 *ludificari et calumniari*.

Notionem passivam habent verba deponentia haec: 4) *Dignari* apud Cic. frgm. 3 Oecon. p. 50 K *hominum qui apud nos hoc nomine dignantur*, inv. II, 39, 114 *qui — tali honore dignati sunt*, II, 53, 161 *per quam homines cultu quodam dignantur*, de or. 3, 7, 25, or. 19, 64; cf. Neue II² pag. 282 sq. Koffmane pag. 54. Draeger I² § 248, 5. Adde Augustin. conf. 3, 12.

5) *Complecto* verbi participium perfecti passivo sensu adhibitum est a Cicerone Rosc. Am. 13, 37 *quo uno maleficio scelera omnia complexa esse videntur*; ceteris Ciceronis locis omnibus, quibus olim verbi *complecto* edebantur formae, nunc restitutae sunt formae verbi *compleo*: cf. Tusc. 5, 14, 40. Neue II² pag. 312 sq. Koffmane pag. 37; addantur: Curio apud Prisc. vol. I p. 385, 1 H et Cypr. ep. 21, 1 p. 530, 12 H *complectamus*. Cornificius ait *complecti* activo sensu II, 29, 46. IV, 14, 20, item Cicero inv. I, 40, 73.

6) *Sequi* sensu passivo pronuntiatum esse apud Cornificium III, 3, 5 Neuius putat II² pag. 320. Verba haec sunt: *ostendemus res magnas et celsas sequi et appeti oportere*; equidem potius crediderim coniuncta esse hoc loco duo verbi genera activum (*sequi* scil. homines) et passivum, quae res apud Cornificium concinnitatis non nimis studiosum vix quicquam habet miri.

Ex contrario verba quaedam, quae activam habere solent formam, praeferunt deponentialem:

7) *Punior* apud Cic. inv. II, 22, 66 *per quam peccata punimur* (ubi *punimur* Par. m. pr., *punimus* Angelom. et Tross.); II, 27, 80 *id peccatum, quod sponte sua reus punitus sit*; II, 28, 83 *demonstrando reum se punitum* (*reum* recte delet Kayser): cf. Neue II² pag. 316. Koffmane pag. 158. Cornificius IV, 10, 15 dixit *poenite igitur istum* (si modo vera est Baiteri coniectura), item *puniri* passivo sensu legitur Cic. inv. I, 13, 18.

8) *Miseretur (me) alicuius* apud Cic. inv. I, 30, 48 *ut supplicum misereatur*; in posterioribus libris Cicero ait *miseret me alicuius* aut *misereor alicuius*; cf. inv. I, 56, 109; item Corn. I, 14, 24. Cf. Neue II² pag. 620 sq. Koffmane pag. 118.

9) *Iuratus sum etc.* apud Corn. II, 26, 41 *ita ut iuratus fuerat*; Cic. inv. II, 43, 125 *quid scriptum sit, — quid iuratus* (sc. *sit*) *iudex*: II, 43, 126 *quid iuratus sit*; II, 45, 131 *in quam iurati sitis*; participium *iuratus* apud Corn. IV, 24, 33. Cic. inv. I, 30, 48. 39, 70. Cf. Neue II² pag. 336.

§ 3. De adverbiis et de gradibus comparationis.

a.

Adverbiorum in *e* exeuntium nonnulla memorabilia sunt:

1) *False* Sisenn. pag. 299, 14 P. Cic. inv. II, 11, 36 (ubi *false* codd. p s v n; idem dixit *falso* inv. I, 43, 81. II,

11, 37). Cf. Neue II² pag. 648. Koffmane pag. 72 sq.: adde Cassiodor. in psalm. 63, 10 *false*.

2) *Necessarie* Cic. inv. I. 29, 44 bis. II, 2. 4: idem *necessario* inv. I, 3, 4. 29. 45 etc., qua forma semper utitur Cornificius. Cf. Neue II² pag. 649 sq. Koffmane pag. 123; adde Cypr. de domin. orat. 25 pag. 285, 25 H: inc. auct. ad Novat. 3 pag. 55, 20 H: 11 pag. 62, 12 H. Ceterum de usu *necessario* adverbii post Catonem a Cornificio, Cicerone iuvene, posterioribus scriptoribus ad gerundia gerundivave adiecto acturus est G. Landgrafius in act. Erl. vol. II.

3) *Perpetue* Corn. IV, 56, 69 *firme et perpetue meminerimus* (quem locum Kayserus uncis inclusit): Neue II² pag. 645.

4) *Rare* Corn. III, 8, 15 *eo quod rare accidit in vita*, IV, 17, 25 *sententias interponi rare convenit*: idem dixit *raro* I, 12, 22 etc. Cf. Neue II² p. 645. Koffmane p. 163. Stuenkel p. 57. Cicero dixit *raro* et *perraro*, nusquam *rare*; itaque cum Charisius p. 217, 8 K adnotet *rare Cicero, ut Maximus notat*, Statilium Maximum ipsum, qui fere circa annum ducentesimum post Chr. n. *de singularibus apud Ciceronem positis* scripsit, Cornificii libros Ciceroni falso adscripsisse veri non est dissimile: idem videtur suspicari Hoppe. *zu den fragmenten und der sprache Ciceros*, progr. Gumbinn. 1875 p. 1.

5) *Tute* Corn. III, 5, 9. 7, 13. IV, 43, 55. Cf. Neue II² pag. 648. Koffmane pag. 198 et Vulg. 2 par. 16, 1.

Praeter formam *permixte* (inv. I, 22, 32) Cicero semel usus est forma *permixtim* inv. I, 30, 49 (ubi *permixtim* codices optimi praebere videntur, *permixti* vel *permixte* deteriores). Cf. Neue II² pag. 663.

Suffixo *-iter* formata sunt adverbia haec:

1) *Audaciter*, de qua adverbii forma cf. Quintil. 1, 6, 17: Charis. 2, 13 pag. 185, 23 K: Priscian. 15, 4, 21. Prisciani secuti auctoritatem editores apud Cic. Rosc. Am. 36, 104 scripserunt *audaciter*, quamquam libri ad unum omnes et hoc loco et aliis duobus eiusdem orationis (11, 31. 40, 118) praebent *audacter*. Cf. Hellmuth act. Erl. I pag. 115. Neue II² p. 661 sq. Koffmane p. 19: adde Corn. III, 11, 19 (ubi *audaciter* cod. *v*, rell. *audacter*). IV. 20, 28 (ubi *audaciter* ex

primae familiae codd. *hep¹π*), Cypr. ep. 63, 1 p. 702, 1 H. inc. auct. ad. Novatian. 5 p. 56, 26 H.

2) *Duriter* Corn. IV, 10, 15 *verbis — duriter aliunde translatis*; cf. Neue II² p. 653. Koffmane p. 61. Draeger § 63 et Vulg. sap. 23; gl. Labb. *dure duriter* σκληρῶς. Cicero dixit *dure* Phil. 12, 10, 25.

Nonnulla addimus adverbia, quae a probatissimis scriptoribus formari non solent:

1) *Idonee* Cic. inv. I, 15, 20 *oratio animum auditoris idonee comparans*; Apul. met. 4, 28. Videtur mihi in Iurisconsultorum sermone adverbium male sonans *idonee* sollemnem suum locum et antiquitus habuisse et diu servasse: cf. Pompon. dig. XXXIX, 2, 41; Gai. dig. V, 3, 41 pr.; id. ib. L, 16, 234 § 1; Ulp. 12, 4. id. dig. XVII, 1, 8 § 6; id. ib. XXVII, 8, 1 § 17; XXXII, 11, 15; id. ib. XL, 5, 2. 5, 4 § 8 quater; cod. Iust. II, 44 (45), 1; VIII, 3, 1; VIII, 51, 3; inst. Iust. 1, 24 § 2.

2) *Nove* Pl. Epid. 2, 2, 38; Corn. I, 9, 15 *ne quid nove dicamus*; Sen. controv. 1, 4; Gell. 17, 2, 13. 19, 7, 2; Apul. dogm. Plat. 3; cf. Charis. I p. 116, 8 K.

3) *Nugatorie* ἅπαξ εἰρ. Corn. IV, 36, 48 *tenuiter et nugatorie responsum*.

Adverbiorum comparativos et superlativos minus usitatos exscripsimus hos:

1) *Impunius* Cic. Quinct. 3, 11 *quo impunius dicax esset*. Cf. Neue II² pag. 690.

2) *Nuperrime* Corn. I, 6, 10 *quod ille nuperrime dixerit*. III, 10, 18. Cic. inv. I, 17, 25. Cf. Neue II² pag. 690.

Enumeramus in fine huius capitis ex Cornificio et ex primis Ciceronis libris adverbia ea a participiis perfecti temporis derivata, quae raro inveniuntur per omnes litterarum latinarum aetates: *commutate* Corn. IV, 42, 54 || *confirmate* Corn. IV, 11, 16 || *conquisite* Corn. II, 31, 50. Afran. Gell. || *descripte* Cic. inv. I, 30, 49 || *electe* Cic. inv. I 30, 49; *electius* Gell. || *implicite* Cic. inv. II, 23, 69.

b.

Denique subiungimus participia ea et praesentis et per-

fecti temporis, quorum apud Cornificium et in primis Ciceronis libris invenimus gradum comparativum et superlativum, nec tamen omnia, sed ea tantum, a quibus rarius illae formae derivantur (cf. Neue II² pag. 119 sqq. Draeger I² pag. 29 sqq.): *confidens* sup. adv. Corn. II, 5, 8 || *egens* sup. Cic. Rosc. Am. 8, 23 || *fervens* sup. Corn. IV, 15, 21 || *patens* comp. adv. Cic. inv. II, 23, 69 || *persequens* sup. Corn. II, 19, 29 || *absolutus* sup. Corn. II, 18, 28. 19, 30. IV, 19, 26; adv. Corn. II, 19, 28 || *accumulatus* sup. adv. Corn. I, 17, 27 || *apparatus* comp. Corn. IV, 9, 13. Cic. inv. I, 34, 58 || *appositus* sup. Cic. inv. I, 14, 19 (*appositissima* rectius, ut videtur, Orellius cum codicibus optimis, *potissima* Kayser) || *attenuatus* sup. Corn. III, 14, 25. IV, 41, 53 || *confirmatus* comp. Corn. II, 7, 10. Cic. inv. II, 11, 35 || *depressus* sup. Corn. III, 14, 24 || *distinctus* comp. adv. Cic. inv. I, 28, 43. II, 3, 11. 29, 89 (spurium ducit Kayser) || *distributus* comp. adv. Cic. inv. II, 59, 177 || *exornatus* sup. Corn. IV, 47, 60 || *invictus* sup. Corn. IV, 53, 66 (hunc superlativum habet Plaut. Mil. 57) || *lectus* comp. Cic. inv. I, 31, 52; sup. Corn. IV, 26, 36. Cic. inv. I, 31, 52. Quinct. 2, 5 || *notatus* comp. Corn. III, 22, 37; id. in eadem paragr. dixit *maxime notatus* || *perfectus* sup. Corn. II, 18, 28. IV, 56, 69 (usum sollemnem huius superlativi in vita publica aetatis imperatorum praetereo) || *perpolitus* sup. adv. Corn. IV, 32, 44 || *perquisitus* comp. adv. Cic. inv. I, 41, 77 || *pervagatus* comp. Cic. inv. II, 14, 47 || *pervulgatus* sup. Corn. IV, 8, 11 || *remotus* sup. Cic. inv. I, 33, 56. 53, 102. II, 11, 36 || *sedatus* sup. Corn. III, 14, 24 || *separatus* comp. adv. Cic. inv. II, 51, 156 || *tectus* comp. Cic. Rosc. Am. 36, 104.

Caput III.

De syntaxi.

§ 1. De casibus.

a. de accusativo.

Cum prisci scriptores praeter *potiri re* et *potiri rei* etiam *potiri rem* dixissent, haec structurarum ubertas paulatim certioribus circumscripta est finibus. Accusativum enim ex hoc verbo pendere voluerunt de priscis scriptoribus hi: Naev. trag. 37 pag. 11 R; Plaut. Rud. 1, 3, 6. Curc. 1, 3, 14 (cf. Brix ad Pl. Trin. 1); Enn. ann. 78 V; Pac. 56 pag. 84 R, id. 217 pag. 103, id. 289 pag. 113: Caecil. Stat. 109 p. 54 R; Ter. Adelph. 5, 4, 17. 22; Turpil. 146 pag. 103 R: Acc. 40 pag. 141, id. 590 pag. 212; inc. inc. trag. 51 pag. 242 R (cf. Corn. II, 26, 42): Sisenn. pag. 283, 16. 296, 12 P. Eandem constructionem in Cornificii libris bis deprehendi: IV, 39, 51 *at inimici statim sanguinolentam palmam, crudelissimam victoriam potiti* (ubi *palmam* codd. *he π*, *palma* rell.; *uictoriam* cod. *h*, *uictoria* rell.); IV, 44, 57 *amisit animam, potitus est gloriam* (*gloriam* codd. *p π μ¹ k f r c b*, rell. *gloria*), quo loco accusativus nescio an simul rhetoricae concinnitatis causa positus sit. Contra in aureae aetatis prosa oratione *potiri* verbum deponens cum accusativo non iam coniungitur nisi a scriptoribus quibusdam, quos vulgari usos esse sermone constat, auct. b. Afr. 36. 39. 68. 87. 89. auct. b. Hisp. 16; certe apud Ciceronem et Nepotem, ubicumque olim accusativus circumferebatur, nuper aut ablativus aut genetivus plerumque ex codicum manuscriptorum fide restitutus est (cf. Wesenberg in Baiteri et Halmii editione ad Cic. Tusc. 1, 37, 90; praeterea vid. fat. 7, 13. off. 2, 23, 81; Lupus, *der sprachgebrauch des Cornelius Nepos* pag. 72, ad Nep. Eum. 3, 4). Usurpatur tamen haud ita raro a probatissimis quoque scriptoribus huius verbi gerundivum *potiendus*; exempla collegit Neue II² pag. 264. — Ex aureae aetatis poetis Lucretius *potiendi* verbum cum accusativo coniunxit: 2, 653. 3, 1038. 4, 760 sq. (cf. Holtze. synt. Lucr. lin. pag. 37); ex posterioris aetatis scriptoribus eadem structura usi sunt e. g. hi: Tac. ann. 11. 10: Apul. met. 10, 35. flor. 2, 15; Gell. 13. 1, 5; Iustin. 6, 4, 8. 9, 7. 12. 12, 7, 10 (cf. Draeger I² pag. 570. Antibarb. pag. 892. Koehler act. Erl. I pag. 432).

Praeter accusativum apud Cornificium *potiri* vel *potitum esse* genetivum quoque habet: IV, 25, 34 *Atheniensium potiti sunt Spartiatae*. IV, 32, 43 *non tam cito sarissae Graeciae potiti sunt*; quam structuram quamquam ne optimi quidem

scriptores prorsus evitarunt, tamen intra certarum quarundam locutionum fines substiterunt, velut *rerum, regni potiri* (cf. Cic. Rosc. Am. 25, 70 *prudentissima civitas Atheniensium, dum ea rerum potita*[1]) *est, fuisse traditur*). Nec minus tertia illa apud Cornificium exstare dicitur constructio IV, 54, 68 *statim potitur Abydo*[2]). Itaque cum apud Cornificium tres pariter structurae vel saltem duae permixte adhibeantur, ex prioris sermonis copia arbitrio vel iudicio eorum qui saeculo ante Chr. n. primo perpoliendae linguae operam navabant, magna orta est inopia.

Verbi *persuadere* activum ex priscae aetatis scriptoribus Ennius cum accusativo coniunxit fr. inc. libr. 4 V *quis te persuasit*. Haec constructio in aurea latinitate nusquam occurrit; ex prosae orationis auctoribus participio perf. pass. *persuasus* (h. e. *is cui persuasum est, qui persuasum aliquid habet*), usi sunt hi: Corn. I, 6, 9 *cum animus auditoris persuasus esse videtur*, 6, 10 *si persuasus auditor fuerit*; Caecin. ap. Cic. fam. 6, 7, 2 *si scit et persuasus est*; auct. b. Afr. 55 *Caesarisque nomine persuasi*. Ex his igitur scriptoribus unus eo floruit tempore, quo sermo urbanus nondum satis erat excultus, alter Ciceronis auctoritatem non videtur secutus esse, tertius plebeio usus est sermone. Apud Ciceronem olim structura illa semel legebatur Tull. 16, 39 *reciperatores persuaderes*, quem locum equidem Beierum recte emendasse arbitror, cum scriberet *reciperatoribus persuaderes*. Ciceronem enim etiam participio perf. pass. idque in ipso priore de inventione libro de industria prorsus abstinuisse luculenter apparet ex loco inv. I, 17, 23 *si — ab iis, qui ante dixerunt, — auditori persuasum videtur* cum illis Cornificii locis comparato. — Reliqua exempla, quibus *persuadere* constructione transitiva profertur, cum accurate congesserint Neue II[2]

[1]) De ea quam *potiendi* verbum hoc loco habet significatione vid. Halmium ad h. l.; Heraeum ad Tac. hist. 3, 74.

[2]) Sed cum optimi codices hoc loco praebeant *abaditem* p[1] π, *adabitem* h e, fortasse restituendum est *Abydi. item sqq.* (quod fere habent bl[2] c g). Quod si recte conieci, deest apud Cornificium tertia verbi *potiri* structura, qua cum ablativo coniungitur.

p. 261[1]) et Koehler act. Erl. I pag. 392 sq., ipsi hoc negotio supersedemus; cf. etiam Draeger I § 99. Holtze I pag. 271. Krueger gramm. lat. § 358 adn. 2.

Apud Cornificium semel legitur II, 17, 26 *causa — non visa est supersedenda*; omnibus reliquis locis idem *supersedere* secundum grammaticorum regulam coniunxit cum ablativo (II, 19, 30. 22, 34. III, 9, 17), nec minus constanter Cicero, velut inv. I, 20, 28. 21, 30. 40, 72. II, 19, 57. Denuo *supersedere* transitive usurpatum est a Gellio et Apuleio (cf. Neue II[2] pag. 260).

Antecello, quod verbum apud optimos scriptores dativum habet casum (velut Cic. inv. I, 4, 5 *ipsis hominibus antecellat*), inde demum ab argentea aetate apud Valer. Max., Plin. mai., Sen., Tac. cum accusativo coniungitur, passivum autem huius verbi iam Cornificius II, 30, 48 admisit: *qui his omnibus rebus antecelluntur*; cf. Antibarb. pag. 147. Draeger I § 99.

Quaeso, quod verbum apud priscos scriptores non raro cum accusativo construitur, probatissimi auctores plerumque aut cum *a* praepositione coniungunt ad similitudinem verbi *quaero* aut absolute ponunt; admodum raro accusativum ex eo pendere volunt, ut Cic. Rosc. Am. 4, 11 *te —, M. Fanni, quaeso*, Brut. et Cass. ap. Cic. fam. 11, 3, 4 *deos quaesumus*. Hae formulae et inprimis altera *deos quaeso* videntur quasi sollemnes remansisse; saepe enim deprehenduntur apud priscos scriptores: Plaut. Merc. 4, 1, 12 *Apollo, quaeso te, ut des pacem propitius*. Aul. 4, 2, 4 *te quaeso, — Fides* (itaque haec quoque formula maxime in deorum invocatione sollemnis erat). Capt. 2, 2, 90 Fleckeis. (*te* deest apud Brixium). ib. 2, 3, 72. Bacch. 4, 4, 94. Rud. 3, 2, 15. Trin. 1, 2, 152; item *quaeso deos* Naev. com. 95 pag. 23 R, Plaut. Cas. 2, 6, 37. 44. Rud. 2, 6, 15; Ter. And. 3, 2, 7. Ad. 2, 4, 11. 3, 1, 11, et postea apud Curt. 6, 5, 3. — Unus Sallustius ex aureae aetatis prosae auctoribus aliquotiens hac verbi constructione praeter locutiones duas quas supra commemoravi usus est (cf. indicem a Dietschio confectum). Cf. Antibarb. pag. 963. Holtze I pag. 284. Cf. etiam Liv. 29, 27, 1/2 *divi divaeque — vos precor quaesoque*.

[1]) adde e. g. Vulg. act. 12, 20; 14, 18.

Rogandi verbum, ubi ex eo pendent duo obiecta, alterum personae alterum rei, coniungitur cum duplici accusativo tum, cum res prolata est genere neutro pronominis alicuius vel adiectivi: alioqui optimi scriptores excepta una locutione *rogare aliquem sententiam* dicere solent aut *rogare aliquem de aliqua re* aut *similiter*. At Cornificius ait *rogare aliquid ab aliquo* IV, 50, 63: *ut — ab avunculo rogetur Aethiops*; item Sall. Iug. 64, 1 *ab Metello — missionem rogat*. Cf Antibarb. pag. 1030.

Pro *facere aliquem benevolum* (quod adiectivum exempli gratia posui) vel *reddere aliquem benevolum*, quibus locutionibus in posterioribus libris utitur Cicero, in libris de inventione bis dixit *conficere aliquem benevolum etc.* I, 15, 20 *si eum benevolum attentum docilem confecerit* (Cornificius ubi de eadem re loquitur I, 4, 7, dicit: *principium est cum statim animum auditoris nobis idoneum reddimus ad audiendum*, et paulo infra: *sin humile genus erit causae, (auditores) faciemus attentos*) et I, 55, 106 *animum auditoris mitem et misericordem conficere oportet*. Poteram vel debebam hunc usum *conficere* verbi supra p. 10 cum iis verbis compositis coniungere, quae pro simplicibus usurpantur.

Pergimus ad accusativos aliquot quos vocant absolutos, qui cum magis cotidiani sermonis esse viderentur, in aureae aetatis scriptorum usum rarius sunt recepti (cf. Draeger I § 2). Hi enim eiusmodi accusativos, cum non satis quadrare viderentur ad grammaticorum praecepta, plerumque aspernati sunt: manserunt tamen paucae formulae, velut *magnam, maximam partem*, similia. Nobis inprimis agendum est de *hoc genus, id genus, omne genus*: quibus locutionibus primus videtur usus esse Cato r. r. 8, 2 *hortum omne genus, coronamenta omne genus*. Apud Plautum enim et ceteros Catone antiquiores scriptores nusquam hunc loquendi usum deprehendi, immo Plautus dixit Trin. 2, 2, 13 *ad hoc genus hominum*. 2, 4, 140 sq. *genus quod — hominum*. 4, 3, 39 *id genus hominum*. Poen. 4, 2, 9 *quodvis genus — hominum* etc. Post Catonem *id genus* etc. absolute posuerunt scriptores hi: Lucil. XI, 5 pag. 56 M *id genu' rudus*. XX, 3 pag. 75 *aliqua id genus herba*: Cic. Att. 13, 12, 3 *aliquid id genus*; Varr. sat. Men. pag. 175, 22 R *de id genus rebus*. id. l. l. 8, 7, 108. 9, 63, 156. r. r. 1, 29, 1. 2, 1, 23. 3, 5, 11. 3, 6, 3: Lucretius (exempla congessit Holtze synt. Lucr. lin. pag. 30): Catull. 114, 3 *aucupia omne genus*: Hor. sat. 2, 6, 44 *nugas hoc genus*: Liv. semel (1, 8, 3) *apparitores hoc genus*; Petron. 71 *omne genus poma*: Suet. Aug. 75 *alia id genus*. Claud. 34 *id genus*. Tit. 7 *quinque milia omne genus ferarum*. Domit. 4 *omne genus rerum missilia*. gramm. 4 *alia hoc genus*; Gran. Licin. pag. 42 b 6 ed. Bonn. *hoc genus alia*; Front. p. 62 N *id genus*. p. 105 N *hoc genus*; Gellius teste Woelfflino *hoc genus* semel scripsit (1, 15, 20), *id genus* fere tricies (e. g. praef. 4 *in id genus libris*): Apul. met. 2, 1 *id genus pecua*. 5, 1 *id genus pecudibus*. 8, 2 *id genus viris*. flor. 1, 3 *hoc genus crimina*. 1, 9 *id genus ferramenta*. 1, 9 *poemata omne genus*. 2, 13 *id genus orationem*. 2, 14 *hoc genus alia*. 4, 18 *in auditorio hoc genus*. de deo Socr. 2. 9. 13. 15 et apol. 9. 10. 11 bis. 23. 26. 32. 36. 82 constanter *id genus*; Tertull. apol. 27 *hoc genus*; etc. In omnibus his locis *id genus* etc. coniunctum est cum substantivo aliquo vel etiam adiectivo et pronomine. Separavimus autem a ceteris locutionem *quod genus*, quippe quae fere numquam cum substantivo coniuncta sit, sed ita cum copula *esse* construi soleat, ut haec aut plane sit addita aut tacite supplenda. Et saepissime legitur *quod genus* apud Cornificium et in Ciceronis de inventione libris eodem fere sensu, quo ceteroqui dicitur *ut, velut*, exempli afferendi gratia. Legitur enim *quod genus* a) addita copula *esse*: Corn. II, 30, 48 *quod genus ei sunt, a quibus etc.* IV, 49, 62: Cic. inv. II, 52, 157 bis. 54, 162; b) omissa copula *esse* multo saepius: Corn. I, 9, 14. II, 13, 19 ter. 13, 20. 28, 45. 30, 49. III, 16, 29. 18, 31: Cic. inv. I, 17, 25. 19, 27. II, 11, 35. 22, 67. 54, 165. 57, 172; deest *quod genus* omnino in iis quarum in hoc libello rationem habemus orationibus Ciceronianis. De *quod genus* cf. etiam Lucil. III, 29 pag. 14 M; Varr. r. r. 2, 10; Lucr. (Holtze, synt. Lucr. pag. 30).

Non longe distat ab hac structura, quod *id* (*quid, idem*,

hoc, istuc, illuc etc.) *aetatis* scripserunt Plautus Asin. 1, 1, 56 *neque puduit eum id aetatis sucophantias struere*. Bacch. 2, 3, 109 *hoc aetatis senex*. 5, 1, 4 *hocine me aetatis*. (5, 1, 14 *me hoc aetatis*). Merc. 2, 2, 19 *quid ego tibi aetatis videor*. Mil. 3, 1, 24 *istuc aetatis homini*. 3, 1, 64 *illuc aetatis qui sit*. Pers. 2, 4, 5 *scio ego quid sim aetatis*. Trin. 3, 3, 57 *hoc me aetatis*; Ter. Heaut. 1, 1, 58 *ego istuc aetatis*; Corn. IV, 10, 14 *hic qui id aetatis — appellatus esset* (quo loco sermo cotidianus exprimitur); Cic. inv. II, 30, 92 *cum — id aetatis — essem*[1]. Rosc. Am. 23, 64 *id aetatis duo filii*. Verr. II, 1, 26, 66. II, 2, 14, 37. II, 2, 37, 91. Cluent. 51, 141 *id aetatis filio*. de republ. 3, 29, 41 *qui id aetatis sumus*. de orat. 1, 207 *hominibus id aetatis*. Phil. 8, 2, 5 *illud aetatis*. de domo 45, 118 *id aetatis*. fam. 6, 20, 3. Att. 4, 15; auct. b. Afr. 22, 2 (in oratione Catonis); Liv. 10, 24, 6 *se id aetatis* (cf. Kuehnast synt. Liv. pag. 84); Tac. ann. 13, 16 *idem aetatis*; Front. p. 201 N *quoad aetatis*; etc. Addo *id temporis*[2] Cic. Rosc. Am. 34, 97 *ut — id temporis Romam proficisceretur*. Catil. 1, 4, 10. fin. 5, 1, 1; auct. b. Hisp. 3, 7; *idem temporis* auct. b. Hisp. 3, 1. 4. 12, 3. 13, 3. 20, 4 (Caesar semper scripsit *eodem tempore* et similia, velut b. gall. 2, 24. 7, 73). Cf. Holtze I p. 220; Koehler act. Erl. I p. 428; plura exempla collegit Draeger I § 178.

b. de dativo.

Incumbere gladio dixit Cornificius I, 11, 18 *Aiax in silva, postquam rescīit, quae fecisset per insaniam, gladio incubuit*; Cicero constanter *incumbere in gladium*: cf. Antibarb. p. 574.

Sibi temperare a re legi apud Corn. IV, 18, 25 *eum sibi in contionibus credas a mendacio temperaturum*; Sen. clem. 1, 26, 4; Cels. 4, 31 (24). Aureae aetatis scriptores omise-

[1] Corrigenda est igitur Kuehnastii sententia (synt. Liv. pag. 84 adn.), qui *id aetatis* formulam a Cicerone non adhiberi nisi adiecto aliquo substantivo arbitratus est.

[2] Nonnullis scriptoribus *id temporis* idem fuisse atque *ea hora diei* et respondisse locutioni *id noctis* (cf. *hoc noctis* Plaut. Amph. 1, 1, 159, Apul. met. 1, 15), ita ut *tempus* in certis formulis *diem* significaret, docuit me Woelfflinus.

runt *sibi*, velut Caes. b. gall. 1, 7, 4 *temperare ab iniuria*, qua eadem structura usus est Corn. II, 19, 29 *cui mirum videbitur istum a maleficio propter acerrimam formidinem non temperasse?* (*sibi*, quod codd. omittunt, addiderunt Osann et Kayser in ed. Cic.). Cf. Antibarb. pag. 1128.

Antistare verbum Cicero cum dativo personae et ablativo rei coniunxit inv. II, 1, 2 *omnibus antistiterunt viribus* (altero quo hoc verbum apud Ciceronem legitur loco rep. 3, 18, 28 absolute dictum est), qua eadem constructione usi sunt Claud. Quadr., Nep., etc. Alii scriptores dicunt *antistare aliquem aliqua re* (ita Mela et Apuleius) vel *in aliqua re* (ita Metell. Numid.). Exempla accuratius collegimus supra p. 38 sq.

c. de genetivo.

Primum complures ex Cornificii praecipue libris dicendi formulae, quae in optimae notae scriptorum usum aut raro aut omnino non sunt receptae, ad sollemnem Iurisconsultorum sermonem referendae sunt. Huius modi est *agere* cum genetivis *furti*, *iniuriarum* etc.[1]), et *arcessere* cum genetivis *capitis*, *maiestatis* coniunctum. Quae locutiones quamquam apte ad aliarum similitudinem referri poterant, velut *accusare aliquem furti* etc., tamen optimi scriptores planius et accuratius sententiam exprimere sibi videbantur addito vocabulo aliquo velut *crimine*, *iudicio*, *nomine*, similibus (cf. e. g. Cic. Cael. 7, 16 *ut — ipse alterum ambitus crimine arcesseret*, praecedit *ambitus alterum accusaret*; off. 2, 14, 51 *ne quem umquam innocentem iudicio capitis arcessas*: cf. etiam Verr. II, 2, 58, 142). Inveni autem *agere furti*, *peculatus* apud Corn. I, 12, 22 *secum furti agi, non peculatus oportere*; item *furti agere* Cic. fam. 7, 22; *agere iniuriarum* Corn. I, 14, 24 *cum eo Accius iniuriarum agit*; Cic. inv. II, 20, 59 *agit is, cui manus praecisa est, iniuriarum*; Quintil. 3, 6, 19; *agere mandati* Corn. II, 13, 19 *M. Drusus praetor urbanus, quod cum herede mandati ageretur, iudicium reddidit*. Simili modo legitur *arcessere capitis* apud Corn. I, 11, 18 *Teucer — inimicum fratris cum gladio*

[1] Permultos eiusmodi locos et apud Gaium et apud ceteros iurisconsultos exstare res est notissima; quorum singulos locos enumerare supervacaneum duxi.

cruento videt, capitis arcessit: Cic. inv. II, 31, 97 *tamen quidam (eum) capitis arcessierunt.* Deiot. 11, 30: Sall. Iug. 73, 5: *arcessere maiestatis* Corn. I, 12, 21 *arcessitur Caepio maiestatis.* I, 15, 25 *(C. Popilius) arcessitur maiestatis*; Cic. inv. II, 17, 52. 24, 74: Nigid. Fig. apud Gell. 19, 14, 8; Tac. ann. 2, 50. Semel, ni fallor, deprehenditur *iniuriarum satisfacere* apud Corn. IV, 27, 37 *deinde quod iniuriarum satis fecisti L. Labeoni, nihil ad hanc rem pertinere puto.*

Apud priscos scriptores non secus atque apud Cornificium et Ciceronem in libris de inventione et in epistulis *quoad* aliquotiens coniunctum est cum genetivo *eius* pronominis neutrius. Postea haec constructio cum a grammaticorum praeceptis abhorreret, adeo extrusa est ex sermone urbano, ut in solo sermone cotidiano vigeret. Legi autem *quoad eius* apud Cat. r. r. 32, 1. 33, 1 (cf. Dietze, de serm. Caton. p. 26); Corn. I, 2, 2 *quoad eius fieri poterit*; Cic. inv. II, 6, 20 *quoad eius fieri possit.* fam. 3, 2, 2. 5, 8, 5. Att. 11, 12, 4: Gell. 14, 1, 1 (cf. Holtze I pag. 324).

Numerus participiorum eorum, quae cum genetivo coniunguntur tum, cum perpetuam alicuius subiecti significant actionem, apud priscos multo maior videtur fuisse quam apud aureae aetatis scriptores; nam cum in illorum sermone fere quodlibet participium hoc modo usurpari possit, apud hos certis hic usus circumscriptus est finibus (cf. Holtze I pag. 337; Boetticher lex. Tac. pag. 213 sqq.). Construuntur autem participia hoc modo ideo, quod vis nominalis, quae inest in participio, superat verbalem; de graecismo minime cogitare licet. Sic legitur apud Plaut. Cas. 2, 1, 13 *flagiti persequentem*; similiter apud Corn. II, 19, 29 *inimicitiarum persequentissimum* (de locutione *inimicitias persequi* cf. Caes. b. civ. 3, 83, 5 *de persequendis inimicitiis agebant*); Corn. IV. 20, 28 *hominem laudem egentem virtutis, abundantem felicitatis*, item Nep. Eum. 8, 5 *omnium rerum abundans*, Verg., Cassiodor., (contra Cicero, quantum video, constanter dicit *abundans aliqua re*); Corn. IV. 18, 25 *cognoscentem sui*, si modo sana est lectio: Cic. Quinct. 19, 62 *sui negotii bene gerens* (item *negotii gerentes*, quae locutio ad sollemnem publici usus sermonem

referenda est), cf. Plaut. Truc. 2, 1, 13 *hominum rei male gerentum* (sane ita codd.; vulgo *rem* cum editione principe scribitur): Cic. Quinct. 11, 39 *tui observantem*, fam. 13, 3 *observantissimum studiosissimumque nostri*, Q. fr. 1, 2, 3 § 11 *observantissimus mei*; Plin. ep. 7, 30, 1. 10, 26 (11), 1; Apul. mund. 33; Claudian. IV cons. Hon. 296. Congessimus praeterea haec exempla ex Cornificio et primis Ciceronis libris, quae saepius recurrant per totam latinitatem: Corn. IV, 8, 12 *animus amantissimus rei publicae*, 22, 31 *virum rei publicae amantissimum*; Corn. II, 31, 50 *animum — patientem incommodorum*, item Cic. inv. I, 56, 109, qui locus artissimo cognationis vinculo cohaeret cum Cornificiano; Cic. Quinct. 3, 11 *ceterarum rerum — prudens et attentus*, item Cic. inv. II, 31, 95 *imprudentes legis*: Corn. II, 31, 50 *scientior praeceptorum.* — Ad huiusmodi participiorum similitudinem ex adiectivo *infrequens* genetivum pendere voluit Corn. IV, 27, 37 *et illud praetereo, quod te rei militaris infrequentem tradiderunt* (de notione, quam hoc loco habet verbum *infrequens*, cf. Plaut. Truc. 2, 1, 19 *pro infrequente eum mittat militia domum*[1]), Gell. 16, 4, 5); eadem huius adiectivi structura usus est Gell. 13, 24, 4 *infrequens sum vocum latinarum.*

d. de ablativo.

Ad similitudinem adiectivi *dignus* Cornificius *idoneus* semel coniunxit cum ablativo III, 3, 5 *idoneas dignitate sua.* Fuerunt qui offendentes in ablativo lectionem mutare vellent; sed recte monet Kayserus pag. 270 ed. Corn., eum qui scripserit IV, 14, 20 *vix satis idoneae tibi videbuntur, quae virtutis pedisecae sint*, potuisse adiectivo *idoneus* alteram quoque vocis *dignus* tribuere constructionem.

Singulariter dixit Cornificius I, 17, 27 *si quo tardius* pro *si quid tardius*; cf. Halm, anal. Tull. 7, qui laudat Pompon.

[1] Cornificium l. l. ipsius Plauti verba ante oculos habuisse non credo. Sed cum summam ille poetis comicis navarit operam, multa insunt in libris eius, quibus pendeat aliquo modo ex duce illorum Plauto. Quod accuratius disquirere non est huius loci; unum moneo, quod legitur IV, 34, 45 *cuius mater cotidianis nuptiis delectatur*, quo loco Cornificius Demosthenem expressisse vulgo putatur, posse sumptum esse ex Pl. Cist. 1, 1, 45 *cotidie viro nubit.*

dig. I, 2, 1 § 26 *ut aliquo plures haberent,* Ulp. ib. XIX, 2, 11 § 2 *ne aliquo deterius faciat.*

In locutionibus iis, quae quamquam plebei magis sunt sermonis, tamen in optimorum scriptorum usum receptae sunt, numerandum est *opus est* cum ablativo participii perfecti generis neutrius coniunctum. Quam structuram cotidiani sermonis magis propriam fuisse inde cognoscitur, quod saepissime exstat apud poetas comicos, qui praeter *opus est* alteram quoque formulam *usus est* simili modo construunt. Et ex Plauto atque Terentio exempla afferre supersedemus, cum in Naudetiano et Lemairiano indicibus permulta sint congesta; ex aliis scriptoribus collegimus haec: Turpil. 34 pag. 89 R *facto est opus*; Cat. orig. V pag. 82, 15 P *quid opus siet facto*; Corn. IV, 15, 21 *tacito opus est* (item Ter. Ad. 3, 2, 44; cf. Plaut. Cist. 1, 2, 10 *tacito usus est*): Cic. Mil. 19, 50 *properato opus est* (item Plaut. Trin. 3, 3, 78): Lucr. 5, 1053 *quid sit opus facto* (cf. Holtze synt. Lucr. pag. 16); Sall. Cat. 1, 6. 20, 10. 43, 3. 45, 1. 46, 2; Caes. b. gall. 1, 42 *opus esset facto*; Nep. Eum. 9, 1: Liv. 1, 58, 5 *ita facto maturatoque opus esse.* 3. 27, 7 *maturato opus esse.* 7, 5, 3 *opus esse sibi domino eius convento.* 8, 13, 17 *maturato opus est.* Consentaneum igitur est ex his exemplis in aureae aetatis oratione prosa hanc structuram restrictam esse ad paucas et certas aliquot formulas. Unus excipiendus est Sallustius in hac quoque re priscos scriptores imitatus; sed hunc ipsum, postquam in *Catilina* quinquies usus est illo dicendi genere, in *Iugurtha* prorsus eo abstinuisse memorabile videtur. Cf. Holtze I pag. 26. 139—141. Zumpt gramm. § 464.

Sicut in probatissimorum scriptorum sermone praeter *dissentire, dissidere a re* dicitur *dissentire, dissidere cum re* (cf. *dissentire cum re* Corn. I, 11, 19. II, 10, 14: *dissidere cum re* Corn. II, 9, 13. Cic. inv. I, 13, 17), ita Cicero ad harum constructionum similitudinem verbum *differre* in libris de inventione aliquotiens cum praepositione *cum* construit: inv. I, 27, 40 *(occasio) cum tempore hoc differt*; 44, 82 *quid res cum re differat*: II, 30, 92 *hoc genus causae cum superiore hoc differt*: 50. 151 *quid res cum re differat.* Huius

structurae cum neque in ceteris Ciceronis libris neque apud alium quemquam scriptorem invenerim exemplum, Kaysero non adstipulor, qui locum illum inv. II, 50, 151 non a Cicerone profectum esse putet. Cf. de simili praepositionis *cum* usu Lorenz ad Pl. Most. 1055; Dziatzko ad Ter. Phorm. 512.

Notum est apud aureae quoque aetatis scriptores interdum transitivae notionis verba admittere praepositionem *de*, velut *postulare de colloquio* Caes. b. gall. 1, 42 (exempla vid. apud Draegerum I² pag. 631). Hunc in modum Cornificius locutus est: *aperire*[1]) *de aliqua re*, quod significat quasi *eroeffnungen machen ueber etwas*: I, 6, 9 *deinceps de insinuatione aperiendum est,* II, 31, 50 *si de clementia humanitate misericordia nostra qua in alios usi simus aperiemus.*

§ 2. De adiectivis.

Contrarium substantivi loco ita usurpatum, ut genetivus inde pendeat, rarissime occurrere per totam latinitatem monet Allgayerus Antibarb. p. 292. Praesto mihi sunt haec exempla, in quibus utrum genetivum an dativum habeamus, discerni nequit: Corn. IV, 28, 38 *in contrario causae*, Cic. inv. II, 54, 165 *fidentiae contrarium est diffidentia*; cf. etiam Cic. fin. 4, 24, 67.

In probatissimorum scriptorum sermone cum ad gradum comparativum, cuius vis augeatur, plerumque *multo*, ad superlativum fere semper *longe* addi soleat, *multo* ad gradum superlativum admodum raro adicitur. Quam quasi distributionem singularum in singulos gradus vocum non ab initio in usu fuisse, sed *multo* olim tam ad superlativum quam ad comparativum appositum esse et ex contrario *longe* olim nusquam adhibitum esse superlativi augendi gratia, plane

[1]) *Aperire* in iis verbis numerandum est, quibus saepissime et cum studio quodam utitur Cornificius; solet enim, ut est docendi peritissimus, in rebus enarrandis quantum potest isdem et verbis et locutionibus uti. Legi autem *aperire* in duobus primis libris (hos enim solos perscrutatus sum) locis his: I, 3, 4. 4, 7. 5, 8 bis. 6, 9. 8, 13. 10, 17. 16, 25. II, 1, 2. 2, 3. 31, 50 bis. Idem praeterea haec verba saepissime adhibuit: *considerare* I, 3, 5. 6, 9. II, 2, 2. 4, 7. 5, 8. 10, 15. 16, 23. 24 bis. 17, 26. 20, 31. 24, 38. 27, 43 bis. 29, 46. 30, 48; *accommodare* (cf. Destinon, de cod. Corn. rat. I pag. 52), etc.

cognoscitur et ex priscis scriptoribus et ex Cornificio et primis Ciceronis libris. Atque ex prisca latinitate contuli exempla haec, quibus *multo* adiectum est superlativo: Plaut. Amph. 2, 2. 150 *multo maxuma*. 3. 4, 11. Aul. 4. 6, 1 *maxumam multo*. Merc. prol. 69 *m. primum*. Stich. 1, 2. 66 *m. sapientissuma*. 1, 3, 10 *m. maxumam et gravissumam*. Truc. 1, 1, 62 *m. pessumum*; Ter. And. 3, 2, 46 *m. maxumum*. Eun. 2, 2, 22 *m. uberrumus*. Heaut. 4, 8, 1 *m. fortunatissumum*. Hec. 1, 2, 85 *m. maxume*: Aquil. 5 pag. 34 R *m. omnium — optumum et verissumum*: pall. inc. inc. 64 p. 122 *m. maximus*: Acc. trag. 316 pag. 177 R *m. acerrimum*: Lucil. IV, 17 pag. 22 M *optimu' m.*, XV, 11 pag. 66 *primu' — m.*, XX, 9 pag. 76 *maximu' m.*, XXX, 10 pag. 118 *m. optimus*. *Multo* igitur cum hoc modo frequenter usurpetur, ex contrario *longe* superlativo in prisca aetate nusquam adiectum est. Duo videntur obstare loci, quorum alter legitur apud Plaut. Most. 3, 3, 8 *longe longissuma*: attamen hoc loco *longe* non ad superlativum *longissuma* referendum est, sed adverbium ad suum adiectivum, ut vis augeatur, eadem ratione additur, qua dicuntur *misere miser* similia (cf. O. Seyffert, stud. Plaut. pag. 9). In altero exemplo, apud Enn. ann. 94 pag. 15 V *ex alto longe pulcherrima avis* Vahlenus in indice *longe pulcherrima* coniungit. Sed rectius nunc videmur coniungere *ex alto longe*, cum praesertim *longe pulcherrima avis* non eum quem illo loco exspectes praebeat sensum. — Ex aureae aetatis scriptoribus Varro ablativum *multo* superlativo adiecit sat. Men. pag. 198, 6 R *purissimu' multo*, nusquam *longe*; Cornificius *multo* II, 1, 1 *m. difficillimum*, IV, 18, 26 *m. difficillime*, II. 19, 29. IV, 9, 13 *m. maximus*, IV. 44, 58 *m. maxime*, nusquam *longe*; Cicero in libris de inventione *multo* I. 6, 8. II, 22, 67. 56, 168 *m. maximus* etc., I, 31, 52 *m. maxime*, II, 45, 134 *m. turpissima*, *longe* in his duobus libris nusquam. Primum *longe* deprehenditur Rosc. Am. 12, 33 *longe audacissimum*. Inde per aliquantum temporis *multo* et *longe* pari fere numero adhibentur a Cicerone; ad extremum autem *multo* exceptis locis admodum paucis plane ab eo reiectum est. Legitur enim *multo* divin. Caec. 11, 36 *m. molestissima*. Verr. II, 4, 23, 50 *m. maxima*, II, 4, 49, 109 *m. antiquissimum*, imp. Cn. Pomp. 1, 1 *m. iucundissimus*, 18, 54 *m. maxima*, Cat. 4, 8, 17 item: de or. 1, 57, 241. Contra *longe* iam saepissime legitur, velut Font. 17, 39 [13, 29] *l. ingeniosissimi* etc. etc. Ex ceteris aureae aetatis scriptoribus Varro Atac. p. 263 R scripsit *longe gratissima*; Caesar superlativo constanter addit *longe* b. gall. 1, 2. 23. 3, 8. 21. 4, 1. 5, 3. b. civ. 2, 19. 3, 111; ex contrario Nepos non minus constanter *multo* Alc. 1, 2. Ag. 3, 1. Att. 12, 4; Lucretius ter *multo* 2, 830 *clarissimu' m.*, 2, 1017 *m. maxima*, 4, 953 *m. gravissimus*, nusquam *longe* (nam 6, 80 sq. coniungendum est *longe reiciat*); Sallustius quater *multo* Cat. 36, 4. 52, 20. Iug. 6, 1. 85, 33, semel *longe* Iug. 9, 2. Ex argenteae aetatis scriptoribus utuntur *multo* Liv. (e. g. 1, 11, 5. 30, 18, 14; idem alibi *longe*, e. g. 1, 15, 8. 1, 32, 2. 1, 40, 1. 1, 42, 4. 1, 49, 9 *(l. princeps)*. 2, 31, 1. 6, 32, 5. 7, 25, 5. 9, 1, 2); Quintil. 1, 2, 24. 2, 10, 1. 9, 4, 26. 9, 4, 72. Duo illa vocabula *multo* et *longe* Augusti aetate in cotidiano quoque sermone permixte adhibita esse ex Horatii satiris cognoscitur: *multo* sat. 1, 5, 39. 2, 3, 82; *longe* sat. 1, 5, 3. 1, 5, 89. Cf. Antibarb. pag. 726; Koehler act. Erl. I p. 414.

§ 3. De pronominibus.

Praeter *hoc et illud*, quod apud probatissimos inprimis scriptores usitatum est, in sermone cotidiano dicebatur *hoc et hoc*, velut Corn. II, 25, 40 *hoc aut hoc*, Cic. inv. I, 52, 99. 100. Cf. Hor. sat. 1, 1, 112 *hunc atque hunc*, a. p. 439 *hoc et hoc*, quo loco ipsa Quintilii verba afferuntur. Cf. Catull. 61, 34 *huc et huc errans*; Hor. epod. 4, 7; cf. etiam Antibarb. p. 520. Locutionem *hinc-hinc* (pro *hinc-illinc*) ex Vergilio in argenteam latinitatem transiisse docuit me Woelfflinus.

Quod in enuntiationibus secundariis, quamquam habent indicativum modum, interdum pronomen reflexivum *sui sibi se* legitur pro demonstrativo quod exspectes pronomine *is ea id*, hoc plebeio sermoni in universum tribuendum esse explicat Reblingius l. l. pag. 22. Sed apud Ciceronem quoque hic deprehenditur usus et is quidem saepius, ut recte monet Halmius ad Cic. Rosc. Am. 2, 6, in iis libris quos primos

edidit Cicero. De exemplis diligenter a Draegero I § 30 congestis excerpsimus ea, quae in illis leguntur libris, quorum praecipue rationem habemus: Cic. inv. I, 33, 55 *ei qui sibi ex lege praetor successerat.* II, 2, 7 *qui ante se fuerunt* (ubi tamen *se* Kayserus eiecit secutus optimorum codicum Herbipolitani et Parisiensis manus primas), Rosc. Am. 2, 6 *scrupulum qui se dies noctesque stimulat ac pungit.* Cf. etiam Lorenz et Brix ad Plauti Mil. 182: Nipperdey opusc. pag. 167; Hellmuth act. Erl. I pag. 131: Koehler ibid. I pag. 415.

Pronominibus indefinitis, quorum vis magis proferatur, haud ita raro addi *unus* multis exemplis comprobat Draeger I § 49. Quem usum quamquam ne probatissimi quidem scriptores aspernati sunt, magis tamen vulgaris sermonis esse proprium ideo facile mihi persuadeo, quod in linguis Romanicis pronomina indefinita multa cum *unus* sunt composita, velut franc. *aucun, chacun* etc., ital. *alcuno* etc. De Cornificio petitum unum nobis praesto est exemplum II, 8, 12 *quivis unus homo.*

Cum neglegentia quadam Cicero scripsit inv. II, 58, 174 *utri potissimum consulendum sit* pro *utri potius.* Cf. tamen Hand Turs. IV p. 520, qui *potissimum* coniungit cum *consulendum*; quod vereor ne artificiosius sit excogitatum. Ceterum Cicero in eodem libro II, 49, 147 ait *ad utram potius legem.*

§ 4. De adverbiis.

Insignite, cuius adverbii usus in comicorum poetarum sermone viget (cf. Brix ad Plaut. Men. 1010) cum *inique* coniunctum est Pl. Rud. 3, 2, 29 (*insignite inique*). Huius usus non immemor Cicero dixit Quinct. 23, 73 *insignite improbus* et Phil. 3, 4, 10 *i. impudens*: cf. Landgraf l. l. p. 37. Alio sensu *insignite* dictum est Corn. III, 16, 29 *insignite — absoluti.*

Citro in certis quibusdam formulis cotidiani usus propriis apparet, velut *ultro et citro* Cic. Rosc. Am. 22, 60 *homines cursare ultro et citro non destiterunt.* Permulta collegit exempla Handius Turs. II pag. 86 sqq.; quibus ipsi addimus: a) *ultro citroque* Cat. r. r. 33 id. orig. p. 84, 1 P; Sisenn. hist. IV p. 289, 22 P; Liv. 3, 5, 11. 30, 3, 7: Gran. Licin. pag. 24, 8 ed. Bonn.; Gai. 3, 24. id. dig. III, 5, 2; Ulp. dig. IX. 4, 38 § 2. X, 2, 52 § 2. XVII, 1, 19. L. 16, 19: cod. Theodos. XIII. 1, 13; Veget. r. mil. 4, 42 pag. 160, 4 L; Dar. Phryg. 26 pag. 32, 9 M; inst. Iust. 3, 2 § 3; agrimens. pag. 150, 10; gloss. Plac. pag. 84, 12 D *ultro citroque, huc atque illuc, citro ad nos, ultro illuc*; b) *ultro citro* Ulp. dig. II, 13, 6 § 3 *rationem autem Labeo ait ultro citro dandi accipiendi sqq.* Ulpianus cum alibi scribere soleat *ultro citroque* (cf. exempla supra allata), hoc loco *ultro citro* non ipsius Ulpiani, sed Labeonis verba esse veri simile est.

De *ocius* adverbii (inv. I, 26, 39) usu in argentea latinitate et praecipue apud poetas cf. Leo, Senec. trag. vol. I p. 91 sq.

Negandi particulam *non* nude positam admodum raro inveniri monet Draeger I § 84 idemque hunc usum in sermone cotidiano multo fuisse latiorem et pervulgatiorem conicit. Exemplis, quae citat: Plaut. Cas. 2, 6, 50. Ter. Heaut. 5, 1, 21. 4, 6, 17. Cic. Cluent. 34, 92, Hellmuth act. Erl. I pag. 137 addit haec: Cic. Rosc. Am. 19, 54 *exheredita vitne? non.* Rosc. com. 14, 41. Verr. I, 7, 20. II, 2, 43, 106; ipse adiungo: Corn. IV, 24, 33 *credo, inimicum si nocentem putabas, in iudicium adduxisti? non: indemnatum necasti*; Vulg. Matth. 5, 37 *sit sermo vester: — non, non.* Vulg. Iac. 5, 12 *sit autem vestrum: est est. non non.* Cf. Antibarb. pag. 760.

Pronomen *nullus*, quo maiore vi efferatur negatio, pro simplici negandi particula *non* in sermone cotidiano substitui Naegelsbachius Hauptius (opusc. I p. 75 sqq.) Woelfflinus (l. l. pag. 143) alii docuerunt. Deprehenditur autem apud Plaut. Asin. 2, 4, 2. Bacch. 1, 1, 57. Rud. 1, 2, 55. 2, 2, 17. Trin. 3, 1, 5: Ter. And. 2, 2, 33. Eun. 2, 1, 10. Hec. 1, 2, 4 (cf. Holtze II pag. 202): Cic. Rosc. Am. 44, 128 *haec bona in tabulas publicas nulla redierunt,* Verr. II, 2, 17, 43. Att. 11, 24, 4. 14, 3, 1. 15, 22. 15, 29, 1. fam. 7, 3, 2 etc. (Zumpt § 688: Madvig gramm. § 455 adn. 5). *Nihil* pro *non*, quod et ipsum maiorem habet negandi vim, in urbanum quoque sermonem receptum est.

Reblingius l. l. pag. 21 adnotat in sermone vulgari adiectivi vim augeri solere apposita voce *multum.* Nec minus plebei sermonis est *multum* adverbii loco ad verba intransitiva additum, ita tamen, ut complures locutiones in opti-

morum quoque scriptorum receptae sint usum. Velut apud omnes omnium aetatum scriptores reperias: *multum permultum plus plurimum prodesse* Corn. IV, 32, 44. 55, 69. Cic. inv. II, 11, 36. 48, 142; *multum etc. proficere* (ut par est in verbo, cuius transitiva natura multifariam perlucet) Corn. IV, 53, 66. Cic. inv. I, 56, 109. II, 41, 120. 48, 143; *multum obesse* Corn. IV, 19, 27 (paulo post *magnopere obesse*), 29, 40: *nimium obesse* Cic. inv. I, 1, 1, *minimum* ib. II, 35, 107: *m. opitulari* Corn. IV, 41, 53. Cic. inv. II, 2, 7; item *non m. iuvat* Corn. I, 1. 1. IV, 29, 41. Deinde ad ea verba additur *multum*, quae agendi cum aliquo vel similem habeant notionem: *m. uti aliquo* Cic. inv. I, 31, 53. Quinct. 5, 21. Rosc. Am. 10, 27; *m. loqui cum aliquo* Cic. Att. 8, 13.

Denique *multum* cum aliis similibus adverbiis coniungitur, velut *m. et diu* Cic. inv. II, 19, 58; *m. et saepe*, id. Quinct. 1, 3: *saepe et m.* id. inv. I, 1, 1. Haec igitur exempla cum passim legantur, aliae aliquot Cornificii et Ciceronis formulae, quae rarius deprehenduntur apud probatissimos auctores, videntur esse commemorandae hae: 1) *plurimum etc. diligere* Corn. IV, 22, 31, item *tantum diligere* Corn. IV, 21, 29; cf. Nep. Epam. 4, 1. Att. 5, 4; Phaedr. 6, 30, 8; *multum etc. amare* Plaut. Amph. 1, 3, 27. Most. 3, 2, 28. Pers. 2, 5, 2. Truc. 2, 7, 33. 4, 4, 26. Men. 3, 3, 1; Ter. Eun. 5, 8, 61; Nov. 24 pag. 258 R; Afran. 248 pag. 196 R; Cic. Att. 1, 1; Hor. carm. 3, 27, 47. epod. 17, 20: Ovid. rem. am. 547; etc.; 2) *multum etc. consulere* Corn. IV, 44, 57; Pompon. dig. I, 2, 2 § 16; 3) *multum etc. credere* Corn. II, 7, 11, item *nimium creditis* Corn. IV, 37, 49; cf. Plaut. Amph. 1, 1, 281. 2, 2, 125. Capt. 2, 2, 96. Mil. 2, 3, 60. Truc. 2, 6, 6; Nep. Con. 5, 4; Hor. epist. 1, 16, 19; etc.; 4) *multum etc. fallere* Cic. Quinct. 17, 54; cf. Ter. Hec. 5, 1, 2; Nep. Lys. 3, 3; Phaedr. 1, 25, 6; etc. etc. Apparet igitur ex his locis saepissime hunc usum deprehendi apud poetas comicos eosque scriptores, qui elegantiam sermonis minus curent, raro apud prosae orationis auctores severiores. Cf. Hand Turs. III pag. 668 sq. Holtze I pag. 226 sq.

In altera huius paragraphi parte exponendum est de iis adverbiis, quae cum adiectivis vel adverbiis, quorum vis augeatur, coniungi solent. Et primum quidem disseremus de notissimo illo adverbii *bene* usu cum adiectivis coniuncti, quem vulgaris esse sermonis iam pridem inter omnes constat (cf. Woelfflin l. l. pag. 140. Rebling l. l. pag. 7. Draeger I § 77. Hand Turs. II pag. 3 sqq. Sorof ad Cic de or. 2, 259; Fritzsche ad Hor. sat. 1, 3, 61); luculento autem testimonio est, quod in lingua francogallica *bien*, in italiana *bene* simili modo usurpantur. Nec tamen prorsus exclusus est hic usus ex optimorum scriptorum sermone, apud quos ipsos certae aliquot occurrunt formulae, velut 1) *bene magnus* Cic. Mur. 33, 69; Cass. ap. Cic. fam. 12, 13, 4; item auct. b. Hisp. 1. 4. 12. 13. 15. 16. 22. 35. 40. 41; cf. Cic. Tusc. 2, 19, 44 *b. plane magnus*; Arnob. 5, 21 pag. 192, 11 R *b. grandis* (idem pag. 192, 19 dicit *b. validus*); 2) *bene multi*[1]) Poll. ap. Cic. fam. 10, 33, 4; auct. b. Hisp. 12. 34. 36; Ovid. Her. 15, 67. trist. 1, 7, 15; 3) *bene longus* Cic. de or. 2, 88, 361. fin. 5, 26, 76. Att. 14, 7, 2; carm. Priap. 80, 1 (*bene longa, bene crassa mentula*); *b. longe* auct. b. Hisp. 25; *b. longinquus* Lucil. XXX, 54 pag. 123 M, Cic. fin. 2, 29, 94; *b. latus* Capitol. Gordian. 6. His vocibus multitudinis et spatii notionem continentibus respondet, si temporis rationem respexeris, 4) *bene saepe* Cic. rep. 1, 44, 68; Enn. ann. 239; *bene mane* Cic. Att. 4, 9, 2. 10, 16, 1. 14, 18, 1; Petron. 85; *bene diu* Suet. vit. Iuv.; cf. *bene ante lucem* Cic. de or. 2, 64, 259. Item *bene* interdum coniungitur 5) cum adiectivis *firmus sanus robustus*, quorum notiones inter se sunt simillimae: *bene firmus* Enn. ann. 13; Corn. III, 10, 18 *bene firmam argumentationem*, quod unicum huius usus apud Cornificium exemplum est; Cic. Phil. 6, 7, 18; *bene robustus* apud Cic. Caecil. 15, 48 (quo loco quod sequitur participium *exercitatus* nescio an alicuius momenti fuerit); *bene sanus* Cic.

[1]) Sed illo Mummii loco vers. 3 com. lat. pag. 273 R (*nostri maiores velut bene multa instituere, optime hoc sq.*) *bene* cum *instituere* coniungendum est. Hoc contra ipsum Ribbeckium moneo, qui in indice coniungit *bene multa*.

Sest. 10, 23. fin. 1, 16, 52. 21, 71[1]). Hor. sat. 1, 3, 61. 1, 9, 44. Praeterea unum apud Ciceronem deprehendi locum: 6) *bene impudens* paene per iocum) fam. 5, 12, 3. Denique cf. 7) *b. penitus* Cic. Verr. II, 2, 70, 169 et 8) *b. maturus* Cic. fam. 9, 5, 1. Haec apud probatissimos scriptores et inprimis Ciceronem (nam Caesar hoc usu plane abstinuit) invenimus exempla; ex ceteris scriptoribus collegi locos hos: Pl. Capt. 5, 2, 13 *b. morigerus*; Enn. ap. Cic. div. 2, 39, 82 *b. serenus* (de Enniano usu adnotat Porphyrio ad Horatii carm. 3, 24, 50 *scelerum si bene paenitet: bene pro valde positum, ut apud Ennium frequenter*): Cat. r. r. 3, 5 *b. frequens*: id. ib. 45 *b. glutus*, *b. tener*. 76 *b. recens*, *b. mollis*. 96 *b. purus*: Ter. Eun. 5, 8, 44 *b. lubenter*; Lucil. VII. 27 pag. 39 M *b. plenus*: Varr. sat. Men. pag. 160, 6 R *b. mollis*: Lucr. 5, 706 *b. plenus*; Hor. carm. 2, 12, 15 *b. fidus*: Priap. 61 *b. fructuosus*; Cels. 1, 4 *bene largus*. 6, 18 *b. calidus*. 4, 22 *b. frigidus*: Sen. apocol. 5 *b. canus*: Martial. 4, 10, 2 *b. siccus*. 4, 13, 3 *b. rarus*; Gell. 9, 9, 12 *b. callidus*; Amm. Marc. 14, 2, 17 *b. pertinax*; etc. etc. — Seclusimus ex hoc indice omnia exempla qualia sunt: *b. notus*, *b. potus*, *b. tutus*, *b. quietus*; *b. moratus*, *b. capillatus*, *b. barbatus*, *b. praedatus*: cum his enim vocabulis, cum partim ipsa sint participia partim ad participiorum similitudinem conformata, facilius quam cum aliis coniungitur adverbium *bene*. Similem usum *male* adverbii non curavi.

Simili modo *egregie* aliquotiens coniungitur cum adiectivis (cf. Draeger I § 77).. Diligentissime tamen ii loci, quibus *egregie* propriam suam retinet significationem *eximio vel singulari modo*, quae notio in probatissimorum quoque scriptorum sermonem recepta est, separandi sunt ab iis dictionibus, quibus *egregie* imminuta ea quam ab initio habebat notione similiter atque *bene* auget sequentis adiectivi vel adverbii vim (cf. Haase ad Reisig. adn. 402, 6). Itaque nihil

[1]) Breviter adnoto videri mihi Ciceronem in libris de finibus compositis complura admisisse, quae in reliquis de philosophia scriptis consulto evitarit; cf. in praecedentibus huius libelli partibus *propterea quod* (supra pag. 18), *depeculari* (supra pag. 37) etc. etc.

miri habent exempla haec: Ter. And. 1, 5, 38 *egregie carus*, Corn. IV, 4, 6 *egr. artificiosus*. Cic. de or. 2, 66, 268 *egr. fortis*. id. Brut. 9, 35 *egr. subtilis*. Singulariter autem dictum est *egregie turpis* apud Corn. III, 22, 35 *at si quid videmus — egregie turpe*. *Egregius* enim apud optimos scriptores non omnino significat id, quod qualibet ratione modum excedit, sed in bonam plerumque partem accipitur, ut in epistulis tantum et in cotidiano sermone *egregius* dicatur de iis rebus, quae malam in partem aliis aliquo modo praestent (cf. Georges lex. lat. s. v.): cf. Ter. Heaut. 3, 1, 11 *ego profecto ingenio egregio ad miserias natus sum*, Gell. 20, 1 *egregie improbus*. Etiam cum adverbiis coniungitur *egregie*: Corn. III, 18, 31 *egr. commode*: primitiva igitur huius adverbii vis iam adeo fuit debilitata, ut quasi procliticae particulae munere fungeretur: quam ob rem Kaysero, qui cum minus apte coniungi eiusmodi duo adverbia censeret, mutata lectione scribendum putaverit *egregia re commode*, non adstipulor. Praeclarum autem testimonium, quo hunc adverbii usum ad vulgarem sermonem referendum esse probatur, illud est, quod *egregie* in isdem invenitur formulis, quibus *bene*: *egregie magnus*, Corn. III, 11, 19 *egr. magnam esse utilitatem*, *egr. multi* Lucr. 1, 735.

Sicuti dicitur *bene*, *egregie magnus*, item legitur *sane magnus* apud Corn. IV, 49, 63 *cui sane magna est in mendo cicatrix*: Cic. Tull. 6, 14. Qui adverbii *sane* usus, quo ad adiectivum adicitur, cum apud aureae quoque aetatis scriptores haud ita raro occurrat, plura afferre exempla non est opus. Sed memorabilis est formula *sane bene*, cum plebei sermonis videatur esse et *sane bene* et *bene sane*: Plaut. Most. 3, 2, 74 (ita codices Palatini, contra in [*insan*]*um* [*bene*] videri hunc versum exire in codice Ambrosiano exire docuit nos Studemundus in scholis): Ter. Andr. 5, 2, 7. Hec. 1, 2, 103. Adelph. 4, 2, 47: Cic. Quinct. 3, 12 *res rustica sane bene culta*, Att. 13, 33, 2. — Nec minus cotidiani usus est *hercle sane* vel *sane hercle*: Plaut. Trin. 3, 3, 53 (*scite hercle sane*): Ter. Eun. 3, 5, 59. Phorm. 3, 3, 9. Hec. 3, 5, 9: Titin. 105 pag. 148 R; Corn. IV, 50, 63 *ex ea re homo hercle*

sane conturbatur (hoc loco Cornificii narratio iocosi aliquid habet et fere tota sermone cotidiano conscripta est); Cic. leg. 2, 4, 8 *sane quidem hercule* in dialogo; Liv.; Curt.

Ut gradus superlativi exprimendi causa ad positivum additur *maxime*, ita etiam *summe* cum adiectivo coniungitur. Cuius locutionis cum neque apud priscos scriptores neque apud Cornificium ullum invenerim exemplum, legi apud Ciceronem inv. I, 30, 50 *summe necessarius*, II, 45, 134 *s. inutilia*, Verr. II, 1, 24, 63 *s. officiosus*, orat. partit. 23, 79 *s. laudabilis*, fam. 4, 3, 12 *s. studiosus*, fam. 13, 18, 2 *s. iucundus*, fin. 4, 9, 21 *s. miser*, 4, 19, 55 *s. beatus* (quo loco vis verbalis participii *beatus* vix maioris momenti fuit: vid. quae supra pag. 73 adnotavimus de libris de fin.), Quintilianum 12, 1, 23 *s. disertus*, Plinium ep. 10, 11 *mei summe observantissimum*, Gellium praef. 12 *s. nobilis*, Front. p. 18 N *s. optabile*, etc.

Summe adverbium a Cicerone ad verba quoque adiungitur: inv. I, 35, 61 *s. frequentare*, II, 6, 20 *s. augere*, Quinct. 19, 61 *s. constat*, 21, 69 *s. cupere*, 24, 77 *s. contendere*, Rosc. Am. 5, 13 *s. cupere*; cf. Hellmuth act. Erl. I pag. 134.

Raro *tanto opere* ad similitudinem particulae *tam* conexum est cum adiectivis. Pro ea enim quam ab initio habebat notione cum verbis solum, non cum nominibus potest construi: et revera optimae notae scriptores, qui illam significationem intellexerint, evitarunt quantum poterant cum adiectivis coniungere *tanto opere*. Exempla mihi praesto sunt haec: Corn. III, 24, 40 *quod tanto opere utile sit, quanto labore sit appetendum* (quamquam dubites, utrum *tanto opere* referendum sit ad solum *utile* an potius ad *utile sit*), Cic. inv. II, 25, 75 *si illud, quod comparabitur, aut non honestum aut non utile aut non necessarium fuisse aut non tanto opere utile aut non tanto opere honestum aut non tanto opere necessarium demonstrabitur*.

Ex adverbiis iis, quae coniuncta cum copula *esse* praedicati munere funguntur, apud probatissimos scriptores perpauca in usu sunt, quae ipsa certis constanter proferuntur formulis: est enim hic usus in universum sermonis plebei

(cf. Rebling l. l. pag. 7). Eiusmodi autem formulae sunt *satis est, necesse est*[1], *abunde est, bene est*, similes. Rarius apud Ciceronem legitur *sic est* (*ita est*) Rosc. Am. 30, 84 *sic vita hominum est* (cf. Hellmuth act. Erl. I pag. 135); item *aliter est* Rosc. Am. 47, 138 *longe aliter est*, pro dom. 12, 31 *quod certo scio aliter esse* (auctore Merguetio hi duo loci soli inveniuntur in orationibus), Att. 11, 23, 1; cf. Liv. 39, 28, 5. Hac in formula apud Plautum et Terentium saepe nomina masculini vel feminini generis locum subiecti obtinent, velut Plaut. Trin. 1, 2, 9 *sin aliter es*; Ter. Adelph. 3, 4, 46 *sin aliter animus voster est*. Phorm. 3, 2, 44. 45. Hec. 4, 4, 15. Adelph. 3, 5, 5; etc.; contra apud aureae aetatis scriptores *aliter est* semper cum pronomine aliquo neutrius generis coniungitur. Cf. Stinner, de Cic. serm. p. 24—30.

Adverbium *probe* raro suam retinet notionem, qua significet *honesto modo* (cf. Ulp. dig. I, 12, 1 § 9. XXXIX, 2, 13 § 11; Iulian. dig. XXXVI, 1, 28 (27) § 4 etc. etc.); plerumque enim debilitata in eo inest significatio ex vulgari dicendi usu desumpta, quam comparare licet cum adverbiis quibusdam Germanicae linguae, velut *rechtschaffen, wacker, ordentlich*. Et ex Plauto quidem atque Terentio permulta laudari possunt exempla (cf. indices), ex ceteris poetis comicis *probe discere* dixit Pomponius 63 pag. 235 R. Huius usus cum apud Cornificium nullum exstet exemplum, Cicero aliquotiens hunc in modum locutus est, plerumque in epistulis et in dialogo: inv. I, 41, 77 *probe tenere*; Rosc. Am. 49, 142 *se ipsum probe novit* (cf. *probe nosse* Ter. Heaut. 1, 2, 6); de or. 3, 50, 194 *pr. meminisse*; Brut. 41, 151 *pr. dicere*; off. 1, 19, 62 *pr. definitur*; fam. 2, 10, 2 *pr. ornatus*; 2, 12, 2 *pr. scire*; Att. 5, 1, 2 *pr. curare* (Ter. And. 5, 2, 6 legitur eadem formula *curasti probe*); 7, 3, 3 *pr. iudicare*;

[1]) In confinio sermonis plebei et urbani versatur locutio *necesse habere* Cic. Quinct. 3, 13 *non necesse habeo dicere*; exemplis aReblingio l. l. p. 25, Landgrafio l. l. pag. 43, Kochlero act. Erl. I pag. 453 congestis adde Petron. 3; Gai. 3, 206; cod. Iustin. 7, 42, 1. Veget. r. mil. 3, 4 p. 71, 6 L; Vulg. 1 reg. 18, 25 etc.; cf. etiam *necesse putare* Corn. II, 28, 45. Caes. b. civ. 1, 84.

13, 6, 1 *pr. facere* (Ter. Phorm. 4, 4, 18 etc. Cf. etiam e. g. Kuehnast synt. Liv. p. 355.

§ 5. De praepositionibus.

1) Ex duabus formis *a* (*ab*) et *abs* hanc magis sermonis vulgaris esse ideoque a Cornificio in formula *abs te* constanter (vid. I, 16, 26. II, 21. 33 bis), a Cicerone in primis quos edidit libris saepius quam *a te* usurpari (vid. inv. I, 13. 18) recte monet Woelfflinus l. l. pag. 144. Nunc ex Merguetii lexico quotiens singulae formae in singulis orationibus a Cicerone usurpatae sint, accuratius cognoscitur: dixit enim ille *a te* Quinct. 18, 57. Rosc. Am. 15, 44: *abs te* Quinct. 13, 45. 18, 56. 20, 65. Rosc. Am. 5, 12. 27, 73 bis. 34, 95. 41, 119. 120 bis: de ceteris orationibus cf. Hellmuth act. Erl. I pag. 120 sq. Cf. etiam Osann ad Cic. de rep. 1, 35; Madvig ad Cic. fin. 5, 25, 75.

Abs formam Cornificius semel ante litteram *q* scripsisse videtur II, 6, 9 *abs quaestionibus*, si modo fides habenda est codicibus p[1]π. Quam lectionem cum Kayserus in textum receperit, sprevit similem *abs testibus*, quam eodem loco exhibent codices pπ.

2) Praepositionem *ad* in sermone vulgari, quo dilucidior et copiosior fieret oratio, multo saepius usurpatam esse quam in urbano docemur linguis Romanicis. Aureae enim aetatis scriptores saepe casum aliquem obliquum adhibuisse satis habebant tum, cum in sermone plebeio addi solebat praepositio. Quam autem ad suum arbitrium Cicero sermonem constituerit, hic quoque plane intellegitur: relativam enim locutionem *quem ad modum* cum per omnes libros in suum converteret usum, demonstrativam ei respondentem *ad hunc modum* non item recepit. Est autem *ad hunc modum* simul cum aliis eiusmodi formulis *hoc modo*, *hoc pacto*, *quod genus*, quae omnes exempli alicuius nominandi gratia ponuntur, non rarum in libris de inventione I, 6, 8. 12, 17. 14, 19. 29, 45. 33, 55. 34, 58. 59. 39, 70. 40, 73. 44, 83. 47, 88. II, 20, 61. 34, 104. 40, 116, ita tamen, ut in secundo libro multo rarius occurrat *ad hunc modum* quam in priore. Contra in Ciceronis orationibus auctore Merguetio ne unum

quidem eius dictionis exstat exemplum; ex ceteris Ciceronis libris invenitur in Tusc. 2, 4, 10. — Caesar ut in aliis quoque rebus minime est Ciceronis auctoritatem secutus, *ad hunc modum* non aspernatus est b. gall. 2, 31. 3, 13. 5, 24. 27. b. civ. 3, 88. Ex posterioris aetatis scriptoribus dixerunt *ad hunc modum* e. g. Ulp. 22, 28. Apul. met. 6, 8; cf. Liv. 37, 46, 8 *ad modum fugientium*.

Plebeiam autem esse hanc dicendi formulam inde potissimum concludimus, quod frequens est apud poetas comicos: Plaut. Bacch. 3, 4, 12. 4, 8, 67. Curc. 1, 3, 48. Pseud. 1, 5, 40. Rud. 1, 3, 12; Ter. Hec. 4, 4, 55; item *ad eum modum* Plaut. Men. 1, 3, 28; *ad illum modum* Capt. 4, 2, 3. Poen. 5, 2, 28; *ad istum modum* Bacch. 4, 2, 2. 4, 4, 97. Rud. 1, 5, 13. 4, 7, 23; *ad eundem istunc modum* Ter. Adelph. 3, 3, 70.

Item plebei sermonis est *ad villam* »*à la ville*« Cic. Rosc. Am. 15, 44; Plin. ep. 2, 2, 3; cf. Woelfflin l. l. pag. 143, Halm ad loc. Cic., Hellmuth act. Erl. I pag. 146.

3) De collocatione praepositionum memorari attinet in initiis aureae aetatis complures praepositiones identidem poni post vocem eam, quae ex illis pendeat ac praecipue in sententiis relativis. Hunc in modum praepositionem *cum* a Caesare semper, a Cicerone et Sallustio saepius subiungi relativis quam praemitti docuit Greefius Philol. XXXII p. 711 sqq. (cf. id. ib. XXXV p. 671 sqq.); sed aliae quoque huiusmodi particulae, inprimis *contra* apud melioris notae scriptores hunc in modum collocantur: *quem contra etc.* Cic. inv. II, 39, 114. Quinct. 28, 87. Verr. II, 1, 9, 24. 5, 58, 153. Mur. 4, 9. Vatin. 7, 18. Phil. 2, 8, 18. or. 10, 34. Att. 10, 8, 8. Contra aliae in principiis tantum aureae aetatis pronomen relativum sequuntur, velut praepositiones *ad* et *de*. Legi enim *quos ad* Cic. nat. deor. 2, 10 (cf. Pl. Bacch. 2, 1, 7; Ter. Phorm. 3, 2, 39). Item *quo de* Corn. II, 26, 40; Cic. inv. I, 19, 27. 28, 41. 44, 82. 54, 104. II, 11, 37. 30, 94. de or. 1, 48, 209. Caecin. 19, 55; *qua de* Corn. I, 5, 8. II, 12, 18. 29, 46. IV, 12, 17; Cic. inv. I, 43, 81. 44, 82 bis. 49, 92. II, 23, 70. 45, 131. 50, 150; *quibus de* inv. II, 48, 141; quin etiam

quibus sine inv. II, 12, 40. Quem dicendi usum magis sermonis plebei proprium fuisse maxime intellegitur, ni fallor, ex Iurisconsultorum sermone, qui quam fideliter servaverit antiquissimum usum supra aliquot exemplis demonstravimus; videntur autem in illo formulae *quo de agitur, qua de agitur* similes fuisse sollemnes: Cic. Verr. II, 2, 12, 31 *quo de agitur* in sententia iudicis; leg. Malacit. CIL vol. II, 1964, V, 41 *ea res qua de agitur*: complura exempla ex Ulpiano, Iuliano, Gaio, Paulo collegit Neue II² pag. 789: alia (velut Varr. r. r. 2, 2, 6) addere supervacaneum est. Primum autem locum pronomen relativum videtur obtinuisse ad similitudinem eius verborum ordinis, qui in ceteris enuntiationibus relativis in usu erat. In quibus cum plerumque pronomen relativum in principio positum esset, factum est, ut eae quoque pronominis relativi formae, quae ex praepositione aliqua penderent, in initio enuntiationis collocarentur, ipsa praepositio secundo poneretur loco. Inde hic usus paulatim in alias quoque praeter relativas voces videtur transiisse. Cf. Hellmuth act. Erl. I pag. 147 sq.

4) Memorabilis est locus Cornificianus IV, 11, 16 *post ille convitium fecit et magis magisque praesente multis clamarit* (*praesente* codd. *he*, rell. *praesentibus*), ubi *praesente*, quasi sit praepositio, ad similitudinem particulae *coram* coniungitur cum ablativo plurativi numeri. Viguit autem hic usus iam apud priscos scriptores: Plaut. Bacch. 1, 2, 34 *praesente ibus*: cf. Ter. Eun. 4, 3, 7 *absente nobis*. Cf. Holtze I pag. 352. II pag. 196. E. Bombe, de ablativi absol. usu (Gryph. 1877) p. 40 sq.

§ 6. De coniunctionibus.

Dum coniunctionem quae significet *waehrend* Cicero cum imperfecti indicativo construit locis haud ita multis: Rosc. Am. 32, 91 *dum is in aliis rebus erat occupatus, qui summam rerum administrabat, erant interea qui etc.*; reliqua exempla collegit Draeger II pag. 575. Cf. etiam Antibarb. pag. 388 sq. Hand Turs. II pag. 304.

Itaque particulam Draeger synt. hist. vol. II pag. 179 constanter poni in principio enuntiationis et apud priscos scriptores et apud Ciceronem, Caesarem, Sallustium monet. Attamen memorandum est Cornificium semel eam in secundo collocasse loco I, 11, 18 *constitutiones itaque, ut ante diximus, tres sunt*: ceteris autem locis ei quam dixi obsecutus est regulae, velut II, 11, 16 *itaque et alieni sermonis etc.*, II, 18, 27 *itaque haec ratione*, etc. etc.

§ 7. De interiectionibus.

Ecce particulam saepissime usurpatam esse in sermone cotidiano cognoscitur cum ex usu poetarum comicorum, qui saepissime formis *eccum eccam eccos eccas*, *ecca* (hac rarissime), *eccillum eccillam eccillud* (?) *eccistam*, *eccere* etc. usi sunt (conf. Holtze I pag. 280 sqq.: Neue II² pag. 814; Brix ad Pl. Capt. 1002. Mil. 789; Lorenz ad Pl. Most. 545. Mil. 1299; Ribbeck com. coroll. p. XXII) tum ex pronominibus aliquot linguarum Romanicarum, velut italicum *questo*, francogall. *ce cet cette*, item ital. *quello*, francogall. *celui celle* orta sunt ex *ecce iste* et *ecce ille*. Nec dissimiliter dixit Corn. IV, 52, 65 *vix haec dixerat, cum ecce iste »praesto ades« inquit »audax?«*. Addo locos eos, quibus *ecce* coniunctum est cum dativo quem vocant ethico, cuius usum universum sermonis esse vulgaris manifestum est: Corn. IV, 10, 14 *ecce tibi iste »heus« inquit etc.*, quo loco Cornificius de industria cotidianum exprimit sermonem; Varro sat. Men. frgm. 411 Buech. *ecce tibi — navicularius irrumpit*: Cic. de or. 2, 22, 94. Cluent. 28, 45. Sest. 41, 89. Pis. 21, 48. Phil. 11, 1, 2. Att. 2, 8. Acad. 2, 38, 121. Tusc. 3, 19, 44. off. 3, 21, 83. Cf. Hand Turs. II pag. 343—351.

§ 8.

Memorandae sunt in hac paragrapho ellipses tres vulgaris dicendi usus propriae:

1) Apud Romanos in usu cotidiano, sicuti apud nos, nomen *hora* post numerum ordinalem saepe omissam esse docemur his locis: Corn. IV, 51, 64 *decimā* (sc. *horā*) bis, Hor. sat. 2, 6, 34. Iuv. 1, 49 (cf. Draeger I § 25). Cf. etiam Fronto p. 8, 24 (ed. Naber) apud Studemundum (Epistulae criticae ad Rudolfum Klussmann p. XV, Berolini 1874), qui locus corruptus fortasse aliquo modo huc pertinet.

2) Haud minus cotidiani sermonis est *rectā* (scil. *viā*) Corn. IV, 50, 63 *si ad me recta domum abissetis*; cf. Koehler act. Erl. I pag. 454 sq.

3) De ellipsi infinitivi *fieri* in formulis quibusdam maxime comicis poetis familiaribus cf. Brix ad Plaut. Trin. 705; Lorenz ad Plaut. Most. 361; Antibarb. pag. 886. Item legitur *si potest* pro *si fieri potest* apud Corn. IV, 50, 63 *videto ut diligenter numerentur, si potest, ante noctem*. quo loco Cornificium plebeium imitari sermonem iam supra monuimus.

§ 9. De enuntiationibus compositis.

In Cornificii et iis Ciceronis libris, quos in hoc libello praecipue respicimus, saepe secundi ordinis enuntiationes omissa particula ea, qua probatissimi auctores uti solent, faciliore et quasi expeditiore modo coniunguntur cum praecedente enuntiatione primaria. Quod inprimis fit in enuntiationibus finalibus, in quibus optimi scriptores particulas *ut* et *ne* adhibere solent; in his enim enuntiationibus Cornificius, Cicero in primis libris, denique ex reliquis aureae aetatis prosae orationis auctoribus praecipue Sallustius infinitivo aliquotiens utuntur. Postea autem Cicero et ceteri elegantioris sermonis auctores ubi primum perpoliendae linguae curam impendere et secundum grammaticorum praecepta singula enuntiationum genera accuratius disquirere et in certum ordinem redigere coeperunt, ab initio id egerunt, ut singulis enuntiationum generibus proprios et circumscriptos constituerent fines. Unde factum est, ut multa verba, quae antea cum infinitivo construi licebat, iam ad aliorum similitudinem cum particula aliqua coniungerentur.

Hunc in modum inprimis verba *monendi hortandi suadendi* similia apud Cornificium et in Ciceronis de inventione libris aliquotiens cum infinitivo coniuncta sunt, cum in elegantiore sermone altera constructio apposita particula *ut* fere sola sit legitima.

Sic legi 1) *monere* Cic. inv. II, 22, 66 *quae erga patriam — officium conservare moneat*: fin. 1, 20, 66 *ratio ipsa monet amicitias comparare* (vid. quae supra pag. 74) adnotavimus de finium libris); Sall. Cat. 52, 3. Iug. 19, 2; Verg. Aen. 10, 439; Plin. n. h. 18, 25, 60; Tac. hist. 4, 33. 5, 24. ann. 1, 63. 4, 67. 12, 46. 13, 37. 16, 11. Cf. Antibarb. pag. 716.

2) *admonere* Corn. II, 20, 31 *haec cognitio — vitare in argumentatione vitium admonebit* (uncis locum inclusit Kayser); idem dixit *admoneo ut* IV, 31, 42; *commoneo ut* III, 11, 20. Constructionem illam praeterea legi apud Verg. Geo. 4, 186. Aen. 9, 109; Hor. sat. 1, 6, 125; Ov. met. 3, 601. 6, 150; Phaedr. 3, 17, 13; etc.

3) *hortari* Corn. II, 19, 28 *metus periculi hortabatur eum interimere*; Cic. inv. II, 5, 17 *quae — facere aliquid hortatur*. Sest. 3, 7 *quae me ad sese rapit, haec minora relinquere hortatur*; Nep. Phoc. 1, 3; Sall. Cat. 5, 9 (cf. Iug. 24, 4); Hor. epist. 1, 1, 69; Verg. Aen. 2, 33. 2, 74. 3, 134. 3, 144. 3, 609. 10, 69; Ovid. met. 8, 215; Suet. Tib. 72; Dict. Cret. 2, 50. 3, 5; Amm. Marc.; etc.

4) *cohortari* Corn. III, 3, 4 *vitare alterum cohortabimur*; auct. b. Alex. 21; Tac. ann. 12, 49 (cf. Draeger ad h. l.); coll. leg. Mos. et Rom. 6, 4 § 1.

5) *dissuadere* [1]) Corn. III, 3, 5 *nimium progredi dissuadebimus*; Sen. Herc. Oet. 933; Quintil. 2, 8, 7. 4, 2, 121 etc.

Insolita est constructio, quae primum legitur Corn. IV, 9, 14 *coepit defricari*; optimi enim scriptores dicere solent *coeptus est* [2]) *defricari* et similia. Cf. Nipperdey quaest. Caesar. pag. 19. opusc. pag. 58; Draeger I § 92.

Huc adicimus *metuere* cum infinitivo coniunctum. Qua structura postquam sexies usus est Plautus, semel Cornificius (IV, 18, 25 *cum eis in campo metuimus dimicare*), Cicero

---

1) *Suadere* sequente infinitivo apud Kayserum legitur Corn. III, 5, 8 *tutam rationem sequi qui suadebit*. Quam lectionem cum ipse sibi Kayserus ex varia codicum fide confinxerit, nullius esse apparet auctoritatis; immo restituendum est id quod Klotzius praebet: *tutam rationem si qui suadebit*.

2) Ubi *coeptum est* cum infinitivo activi coniunctum est (cf. Cael. ap. Cic. fam. 8, 8, 2 *loqui est coeptum*; Gell. 1, 11, 3 *coeptum — progredi*), forma deponentialis (*loqui*; *progredi*) causa maxima huius structurae videtur fuisse; cf. etiam Woelfflin ad Liv. 21, 58, 10.

quique erant ei aequales prosae orationis auctores non videntur eam amplexi esse. Cf. Draeger II pag. 328 sq.

Pertinet cum infinitivo solus Cornificius construxit loco vix sano IV, 27, 37 *si — ad rem non pertinet planius ostendere etc.*

Cornificius dixit *postulat ignosci* I, 14, 24 bis. II, 16, 23. 17, 25. IV, 14, 20; idem tamen alteram quoque adhibet constructionem I, 14, 24 *postulat, ut sui misereantur.* Itaque apud Cornificium accusativus cum infinitivo legitima est huius verbi structura, alteram structuram sequente particula finali insignem quasi coactus natura verbi *misereri* semel usurpavit. Ex contrario Cicero inv. I. 11, 15, quo loco eum Cornificii explanationem ante oculos habuisse veri non est dissimile, illum quasi corrigens bis dicit *ut ignoscatur postulat*; cf. inv. II, 34, 104. 35, 106. Quamquam Cornificiana quoque usus est structura inv. I, 32, 53 *postulabimus nobis illud — concedi* (cf. Hellmuth act. Erl. I pag. 156); cf. Quinct. 28, 86 *ante quam hominis propinqui bona possideri postularentur.* De priscorum scriptorum usu cf. Holtze I pag. 254 sq. 266. II pag. 37 sq. et e. g. Nep. Eum. 8, 2. Hann. 12, 3.

Apud probatissimos scriptores verba *sperandi pollicendi* similia, ubi de rebus futuris agitur, cum infinitivo futuri temporis coniungi solere constat. Quam regulam cum Cornificius quoque paene constanter observaverit (cf. I, 4, 7 *si pollicebimur nos de rebus magnis — verba facturos.* I, 6, 10. II, 19, 30. III, 4, 8. III, 6, 12 *sperare nos — iis — huius facta probaturos.* IV, 18, 25. II, 17, 25 *si qua spes erit usui futurum*), duobus locis verba illa cum praesentis temporis infinitivo construxit: II, 19, 28 *sperabat illius morte se salutem sibi comparare* (praecedit infinitivus futuri *videbat illo incolumi se incolumem non futurum*) et IV, 3, 6 *quia pollicentur se artem scribere.* Hac structura, qua Plautus et Terentius pro cotidiani sermonis consuetudine saepe usi sunt (cf. Holtze I pag. 250 sqq. 266 sq. II pag. 69), Cicero in ipsis primis libris abstinuit (cf. inv. I, 16, 23. 17, 25 bis. 52, 98 etc.). Neque enim obstat Rosc. Am. 7, 18 *spero ex hoc ipso non esse obscurum, ad quem suspicio maleficii pertineat*, quo loco

spero idem fere significet quod *puto.* Cf. Krueger gramm. lat. § 564: Antibarb. pag. 877 sq. s. v. *polliceri.*

Singularis est structura verbi *prohibere*, qua coniungatur cum *ut* Rosc. Am. 52, 151 *di prohibeant, iudices, ut hoc, quod maiores consilium publicum vocari voluerunt, praesidium sectorum existimetur.* Cf. Zumpt § 544: Antibarb. p. 933 sq.

Pro *quominus* post verba *impedire*[1]) et similia interdum occurrit *quo secius*, inprimis apud Cornificium; cuius dictionis exempla supra congessimus pag. 46 s. v. *setius.* Cf. Zumpt § 544.

Conficitur ut pro iis quae usitatiora sunt *efficitur ut, sequitur ut* his duobus locis deprehendi: Cic. inv. II, 49, 145 *ex quo conficitur, ut, si leges duae, aut si plures erunt, aut quotquot erunt, conservari non possint, quia discrepent inter se, sed ea maxime conservanda putetur, quae ad maximas res pertinere videatur*; ib. II, 56, 169 *quibus rebus non illud solum conficitur, ut salvae et incolumes, verum etiam, ut amplae atque potentes sint civitates.* Cf. Zumpt § 618 adn. 1.

Non est verisimile ut quater Cicero dixit: Rosc. Am. 41, 121 *non est veri simile, ut Chrysogonus horum litteras adamarit*: Verr. II, 4, 6, 11 *veri simile non est, ut ille homo tam locuples, tam honestus religioni suae monumentisque maiorum pecuniam anteponeret*: Sull. 20, 57 *veri simile non est, ut, quem in secundis rebus, quem in otio semper secum habuisset, hunc in adversis et in eo tumultu, quem ipse comparabat, ab se dimitteret*; Sest. 36, 78 *an veri simile est* (id est: non veri simile est), *ut civis Romanus aut homo liber quisquam cum gladio in forum descenderit ante lucem etc.* Cf. Zumpt § 623; Madvig gr. lat. § 374 adn. 2; Halm ad Cic. Sull. 20, 57; Draeger II p. 270 sq.

Necesse est ut occurrit his locis: Corn. IV, 16, 23 *quos tantopere timeat, eos necesse est, ut, quoquo modo possit, veneficio petat* (praecedit *necesse est eam quae suum corpus addixerit turpissimae cupiditati timere multos*); Cic. inv. II, 57, 172 *ut cibo utantur non necesse est* (praecedit *omnis mortalis necesse est interire*). Brut. 84, 289 *ne illud quidem in-*

[1]) *Non impedire quin* legitur Corn. III, 1, 1 *ne quid impediare, quin ad hunc utilitatem — progredi possis.*

tellegunt, non modo ita memoriae proditum esse, sed ita necesse fuisse, cum Demosthenes dicturus esset, ut concursus audiendi causa ex tota Graecia fierent. de or. II, 29, 129 *nam hoc necesse est, ut is, qui nobis causam adiudicaturus sit, — inclinatione voluntatis propendeat in nos* etc.; Sen. ep. 78, 16. nat. quaest. 2, 14, 2. Cf. Zumpt § 625.

Haud dubie ad vulgarem dicendi usum referenda est structura *visum est ut* (cf. Lupus, annal. philol. 1877 pag. 504, et Liv. 26, 21, 4 *medium visum ut — intraret*) Corn. IV, 10, 14 *ubi visum est, ut in alveum descenderet.* Exstat enim hoc exemplum eo loco, quo de industria Cornificium usum cotidianum imitari monuimus (cf. *coepit defricari, ecce tibi iste, id aetatis, pone scaenam, ad auriculas*). Formata autem videtur esse haec constructio ad similitudinem locutionis *placitum est ut* Corn. II, 1, 1.

De modorum in secundi ordinis enuntiationibus ratione, cum apud ipsum Cornificium fere certae leges sint constitutae, pauca monenda sunt. In enuntiatis interrogativis quae dicuntur obliquis, in quibus Plautus, quo alacrior et planior fiat oratio, saepe indicativum modum adhibet. et Cornificius et Cicero coniunctivum praetulerunt. Illum indicativi usum proprium esse sermonis plebei nec, quod olim vulgo putabatur, translatum ex lingua Graeca, nunc inter omnes fere viros doctos convenit (cf. Haase ad Reisig. adn. 504 et praecipue Ed. Becker in Studemundi »Studiis« I, fasc. 1). Huius constructionis unum est apud Cornificium exemplum IV, 9, 13 *quibuscum bellum gerimus videtis*; cf. e. g. Fulg. myth. 2, 16 *quid ex hac re concipitur, videamus*, id. Verg. cont. pag. 760 *vide, quid filium doceat*, etc. etc. Alia est condicio loci huius: Corn. I, 10, 17 *cum dicemus numero quot de rebus dicturi sumus* (sic Kayserus in recentiore Cornificii editione ad omnium codicum fidem; in priore contra illorum auctoritatem dederat *simus*); enuntiatum enim a *quot* incipiens est relativum, non interrogativum. Quamquam vereor ut totus ille locus persanatus sit. In ceteris enim exemplis, quibus hac loquendi formula utitur Cornificius, omnibus habemus aut enuntiationem interrogativam quam vocant obliquam (I, 3, 4 *per quam exponimus, quibus de rebus simus dicturi*; I, 4, 6 *breviter quibus de rebus simus dicturi exponere*; III, 7, 13 *exponemus quas res laudaturi simus*: cf. IV, 40, 52 *illa dividit — per expositionem, quibus de rebus in tota oratione disputatio futura sit*) aut enuntiationem relativam praecedente substantivo eo, ad quod pertinet sequens pronomen relativum (I, 4, 7 *et si numero exponemus res, quibus de rebus dicturi sumus*; I, 10, 17 *cum res quibus de rebus dicturi sumus exponemus*). Quodsi huius loquendi usus iustam habebimus rationem, loco illo scribendum est aut quod Kayserus in priore Cornificii editione dederat *dicturi simus*, aut si indicativum malemus, supplendum erit ante *quot* substantivum *res*, quod post syllabam ultimam *ro* vocis *numero* facile intercidere poterat; quodsi lectionem a nobis propositam comprobaveris, hic locus aptissime respondet alteri loco supra laudato I, 4, 7 *si numero exponemus res, quibus de rebus dicturi sumus.* Denique haec substantivi in enuntiatis relativis repetitio (*res* quot de *rebus*) vere est Cornificiana (vid. supra pag. 21).

Formula *sunt qui* ut apud aureae aetatis scriptores fere semper coniunctivum adsciscit, ita non minus constanter apud cotidiani sermonis auctores cum indicativo construitur: Plaut. Cist. 4, 2, 38; Hor. sat. 1, 4, 25. 2, 1, 1. 2, 4, 47, item in carminibus 1, 1, 4. 21. 1, 7, 6; coniunctivus apud eundem poetam legitur epist. 1, 6, 5, duae constructiones mixtae inter se epist. 2, 2, 182, quo loco coniunctivum *habeant* unius metri causa positum esse apparet, cum forma *curet* non minus bene quam *curat* numeris satisfaciat. Cornificius ex *sunt qui* uno, quo apud eum legitur, loco coniunctivum suspensum esse voluit II, 11, 60 *sunt qui arbitrentur*, Cicero autem bis indicativo usus est inv. I, 40, 72. II, 55, 167 *sunt qui putant*, ceteris locis coniunctivo, velut inv. II, 49, 144 *sunt qui — dicant.* Omnibus enim reliquis locis, quibus olim indicativus ferebatur, nunc ex codicibus manu scriptis restitutus est coniunctivus. Sallustii calamo semel excidit *sunt qui ita dicunt* Cat. 19, 4, reliquis locis coniunctivum et ipse praetulit: Cat. 17, 7. 22, 1. 48, 7. 61, 8. Iug. 25, 1. 32, 3. 36, 3. 106, 6.

— Similis locutio *est cum* apud Cornificium constanter indicativum habet modum: II, 19, 30 bis. IV, 26, 36.

Caput IV.

De verborum formatione.

Ex vocabulis huc spectantibus non ea solum attuli, quae aut ipsi formasse videntur Cornificius et Cicero in iis quorum potissimum rationem habemus libris aut quae primum apud illos inveni, sed ea quoque addidi, quae omnino raro leguntur per omnes litterarum Latinarum aetates.

Ac primum pertractemus

Nomina.

§ 1. Substantiva a) Masculina.

Suffixo *-tor* vel *-sor* formata sunt substantiva haec:

1) *Adsensor* Corn. III, 23, 38 *non omnis habemus adsensores*; Cic. fam. 6, 21, 1; Val. Max. 6, 3 n. 6; Sen. Phaedr. 1216.

2) *Comprobator* Cic. inv. I, 28, 43 *auctoritatis eius et inventionis comprobatores atque aemuli*; Boeth. de differ. topic. 4.

3) *Diversor* vel fortasse potius *deversor* (ἅπαξ εἰρ.) Cic. inv. II, 4, 15 *cum quibusdam diversoribus*; cf. *deversitor* Petron.

4) *Elector* Corn. IV, 4, 7 *alienorum boni electores*; Ambros. de Abrah. 1, 3, 13; Augustin. contra Faust. 3, 5 et c. litt. Petil. 2 § 239; etc.; cf. etiam *electrix* Vulg. sap. 8, 4.

5) *Explicator* Cic. inv. II, 2, 6 *ad quendam multo commodiorem explicatorem*; or. 9, 31; Augustin. ep. 31, 7; cf. etiam *explicatrix* Cic. Acad. 1, 8, 32; Cassian. coll. patr. 19, 16.

6) *Ostentator* Plaut. Curc. 4, 1, 15; Corn. IV, 50, 63 *ostentatorem pecuniae gloriosum*; Liv. 1, 10, 5; Tac. hist. 2, 80. ann. 1, 24; Auson. ep. 4, 36; Augustin. de civ. dei 14, 18; Gloss. Labb. *ostentator* ἐνδείκτης; cf. etiam *ostentatrix*, quod vocabulum inde ab Apuleio saepius occurrit.

Adicimus duo nomina feminina in *-trix* exeuntia:

1) *Dominatrix* Cic. inv. I, 2, 2 *caeca ac temeraria dominatrix animi cupiditas*; Sen. Phaedr. 90; carmen anonymi ap. Terentian. Maur. 2061; Vulg. Ierem. 13, 18; eccl. 37, 21.

2) *Imitatrix* Cic. inv. I, 2, 3 *commoditas quaedam prava virtutis imitatrix*. id. leg. 1, 17, 47. Tusc. 3, 2, 4; Ovid. amor. 2, 6, 1; Plin. n. h. 10, 23 (33) § 68 et 26 § 16 (ex Detlefseni coniectura); Apul. de dogm. Plat. 2, 9 pag. 87, 15 Goldb.; Auson. monosyll. 1, 1 p. 197 Bipont.

Ex substantivis in *-tus* desinentibus unum enotavimus:

Inductus, -us, cuius ablativus *inductu* legitur apud Corn. II, 17, 26 *alieno inductu*; Cic. ap. Quintil. 5, 10, 69 (Neue I pag. 522).

§ 2. Substantiva b) Feminina.

Suffixo *-tio* vel *-sio* derivata sunt substantiva verbalia haec:

1) *Adceleratio* Corn. III, 13, 23 *continuatio est orationis enuntiandae adceleratio*; Hilarius in psalm. 119, 11.

2) *Amandatio* (ἅπαξ εἰρ.) Cic. Rosc. Am. 15, 44 *relegatio atque amandatio*.

3) *Apparatio* Corn. I, 8, 12 *alicuius apparationis causa*. II, 4, 7; Cic. inv. I, 18, 25. off. 2, 16, 56; Alfenus Varus dig. XXXIV, 2, 28; Vitruv. (cf. index Nohlii).

4) *Inapparatio* (ἅπαξ εἰρ.) Corn. II, 4, 7 *stultitia imprudentia inapparatio demonstrabitur fuisse*; quam vocem, cum praecedat *consilium scientia apparatio*, ab ipso Cornificio formatam esse apparet.

5) *Arrisio* Corn. I, 6, 10; Cael. Aurel. acut. 2, 37, 214.

6) *Attenuatio* Corn. II, 2, 3 *cum attenuatione suspicionis*. IV, 11, 16; Cael. Aurel. sign. diaet. pass. 60.

7) *Cachinnatio* Corn. III, 14, 25 *sine ulla suspicione nimiae cachinnationis*; Cic. Tusc. 4, 31, 66; Augustin. serm. 175, 2. 351, 5.

8) *Calumniatio* (ἅπαξ εἰρ.) Corn. IV, 15, 22 *vestris calumniationibus*, quamquam lectio minime certa est.

9) *Certatio* Corn. IV, 30, 41; Cic. Quinct. 21, 68. 22,

73; cf. Landgraf l. l. p. 46, Georges in lexico s. v.; Fronto p. 42 N.

10) *Compellatio* Corn. IV. 15, 22 *per — rei cuiuspiam compellationem*; Cic. fam. 12, 25, 2. Phil. 3, 7, 17; Gell. 1, 5, 2.

11) *Conductio* = *actus contrahendi*? Cic. inv. I, 40. 74 *aut ex conductionibus* (= *ἀνακεφαλαιώσεσιν συναγωγαῖς*?) *aut ex contrario complecti oportet* (Kayserus totum locum spurium habet). In reliquis omnibus apud Ciceronem locis *conductio* significat contrarium vocis *locatio*. — *conductio* (= *συναθροισμός*) legitur in Carm. de fig. 139 p. 68 Halm. — Deinde proprio sensu hoc vocabulum sollemniter adhibent medici. veluti Cael. Aurel. saepius (e. g. acut. 3, 6, 61, ubi opponitur conductioni extentio).

12) *Confictio* Cic. Rosc. Am. 13, 35 *criminis confictionem accusator suscepit*: Aquil. Rom. § 3; Cael. Aurel. acut. 1, 11, 81.

13) *Contortio* Corn. IV, 19, 26 *ex — contortione dexterae*; Cic. fat. 9. 17; Augustin. retr. 1, 5 § 1.

14) *Derogatio* Corn. II, 10, 15 *num qua obrogatio aut derogatio sit*; Cic. frgm. or. Corn. 11c vol. XI pag. 11 Kayser: Tryfoninus dig. XXIII, 4. 30.

15) *Elaboratio* Corn. IV, 22, 32 *quod non haec videntur reperiri posse sine elaboratione*; Iul. Firm. math. 5, 1, 2.

16) *Exsuscitatio* apud solum Cornificium IV, 42, 55 bis. 43. 56.

17) *Improbatio* Corn. II, 6, 9 *haec ad improbationem testium pertinebunt*; Cic. inv. II, 10, 32. Verr. II, 3, 74, 172; Labeo dig. XIX, 2. 60 § 3.

18) *Inambulatio* Corn. III, 15, 27; Cic. Brut. 43. 158; Catull. 6, 11; Vitr. 1, 3, 1; Plin. n. h. 14, 1. 3.

19) *Instigatio* Corn. II. 30. 47 *instigationis auditorum causa*; Gai. dig. V, 2, 4; Lactant. 5. 19, 2.

20) *Interpositio* Cic. inv. I. 6, 8 bis. fam. 16, 22, 1; Vitr. 6. 3, 8; Quintil. 9, 3, 23. 10, 3, 32.

21) *Iocatio* Corn. III, 13, 23 bis. 14, 23; Cic. fam. 9, 16, 7. Att. 2, 8, 1.

22) *Maturatio* (*ἅπαξ εἰϱ.*) Corn. III, 2, 3 *dolus consumitur in maturatione mentione.*

23) *Mentio* = mentitio Corn. III, 2, 3 (ubi *mentitione* Lugdun. 3 et ed. Lamb., rell. *mentione*, nisi quod Herbipol. *mentione* prorsus omittit). Idem dixit *mentio* = *commemoratio* II, 28, 45. Cf. gl. Labb. *mentio ἀνάμνησις καὶ ψεῦσμα.*

24) *Obambulatio* (*ἅπαξ εἰϱ.*) Corn. III, 19, 31 *frequentia et obambulatio hominum.*

25) *Obrogatio* (*ἅπαξ εἰϱ.*) Corn. II, 10, 15.

26) *Occisio* Corn. IV, 22, 31. 41, 53 ter; Cic. inv. I, 26, 37. II, 4, 14. Caecin. 14, 41; Liv. (teste Hildebrandio, Specim. lex. Liv. 1868, p. 6); Apul. met. 6, 26; Ulp. dig. IX, 2, 23, 2; Vulg. (saepe). Probatissimi scriptores dicere malebant *occidio*, qua cum voce altera *occisio* in codicibus saepe videtur esse confusa. Cf. praeterea gl. Plac. pag. 72, 1 D *occidio — melius quam occisio.*

27) *Offensatio* Corn. II, 8, 12 *ut ne parvola quidem — offensatione impediremur*; Sen. ben. 5, 25, 6; Plin. n. h. 28, 16 (62), 221; Quintil. 11, 3, 130.

28) *Permansio* Cic. inv. II, 54, 164 *stabilis et perpetua permansio.* fam. 1, 9, 21. Att. 11, 18, 1; Amm. 27, 5, 7.

29) *Pollicitatio* vocem apud Ciceronem nusquam inveni, cum apud alios scriptores aureae aetatis haud ita raro usurpetur. Locos enotavi hos: Pl. Trin. 3, 3, 10; Ter. Phorm. 5, 6, 17; Corn. III, 2, 3; Caes. b. gall. 3, 18, 2. 26, 1. 6, 12, 2. 7, 1, 5. 7, 31, 1. b. civ. 1, 56, 2. 3, 9, 2. 3, 108, 2; auct. b. Afr. 35. 40; Nep. Eum. 2, 4; Sall. Iug. 20, 1. 61, 4; Asin. Poll. ap. Cic. fam. 10, 32, 4; Sen. ben. 3, 19, 3. 4, 2; Plin. ep. 10, 39 (48), 3; Apul. met. 8, 10; saepe in Iurisconsultorum libris, cf. dig. L, 12 *de pollicitationibus* etc.; quater in Vulgata. Cicero dixit *promissio promissum*, cf. Antibarb. pag. 878 s. v. *pollicitari.*

30) *Porrectio* = *actus porrigendi* Corn. III, 15, 27 *porrectione celeri bracchii*; Cic. nat. d. 2, 60, 150; *porrectio manuum suarum* Cassian. collat. 3, 12.

31) *Praepositio* = *actus praeponendi* Cic. inv. I, 28, 42 *disparatum — est id quod ab aliqua re praepositione nega-*

tionis separatur; fin. 3, 16, 54: Ulp. dig. XIV, 1, 1 § 12. id. dig. XIV, 3, 11 § 2.

32) *Redintegratio* Corn. IV, 28, 38 *eiusdem redintegratio verbi*; auct. orat. »pridie quam« 4, 10; Apul. de mundo 23: Tertull. adv. Marc. 4, 10: Arnob. 7, 45: Serv. ad Verg. ecl. 2, 14; Macrob. sat. 1, 11, 5.

33) *Titubatio* Corn. II, 8, 12: Cic. inv. II, 12, 41: Sen. ep. 95, 16; Hieron. de Cain et Abel 1, 5, 19: Macr. sat. 7, 6, 9.

Suffixo *-io* formatum est:

Irreligio Corn. II, 21, 31 (alii non improbabiliter legunt *religio*; cf. apparatus criticus): Pseudo-Apul. Herm. trismeg. 26; cf. Roensch pag. 222.

Ex nominibus, quae in suffixum *-tas* (*-itas*) desinunt, exscribenda putavi haec:

1) *Fatuitas* Cic. inv. II, 32, 99 *hanc — fatuitatem nominari oportere*; Apul. de dogm. Plat. 2, 4: Iul. Firm. math. 8, 19; Vulg. prov. 14, 24. 16, 22. Ierem. 23, 13: Paul. Festi 68, 2; cf. praeterea de Iurisconsultorum usu Dirkseni Manuale s. h. v.

2) *Incommoditas* Plaut. Aul. 3, 5, 58. Mil. 3, 1, 49: Ter. And. 3, 5, 35. Heaut. 5, 1, 59; Corn. IV, 7, 10 *ergo hanc quoque incommoditatem fugimus*; Cic. Att. 1, 17, 7: Liv. 10, 11, 3; Gai. dig. IV, 7, 3 § 4; Ulp. dig. XLIII, 19, 1 § 6. id. dig. XLIII, 21, 3 § 2; Paul. dig. IV, 8, 16 pr.: Arnob.

3) *Inhonestas* Cic. inv. I, 49, 92 *turpe est quod — indignum propter inhonestatem videtur*; cf. Tertull. adv. Marc. 5, 5. id. adv. Iud. 14 (Roensch pag. 221).

4) *Inutilitas* Cic. inv. II, 26, 77 *et facti inutilitatem aut turpitudinem* (suo iure suspectum habet Kayserus). II, 52, 158; Lucr. 5, 1272; Vulg. Hebr. 7, 18; cod. Iust. 3, 34. 14 § 1.

His formis cum simillima sit notio earum, quae in *-udo* suffixum exeunt, hae deinceps a nobis tractentur. Atque quod in prima huius libelli parte exposui, probatissimos scriptores, ubi duo praesto essent nomina abstracta alterum *-tudo* alterum *-tas* suffixo instructum, pro sua con-

suetudine alterum retinuisse, alterum abiecisse (cf. *firmitudo —firmitas*; *necessitudo — necessitas*) id his quoque exemplis comprobatur:

1) *Concinnitudo* Cic. inv. I, 18, 25; Albin. rhet. pag. 535, 32 Halm; Cicero postea constanter dixit *concinnitas*, velut Brut. 83, 287. 95, 325. or. 12, 38. 25, 83. 44, 149. 49, 165. 50, 167 etc.

2) *Habitudo* inprimis apud priscae et posteriorum aetatum scriptores. Ter. Eun. 2, 2, 11; Corn. IV, 10, 15 *corporis bonam habitudinem*; Apul. met. 1, 20. 2, 8. 9, 39. apol. 4. 14: Cyprian. ad Fortunat. 3 pag. 318, 15 H; Capitol. Pert. 12; Spartian. Hadrian. 24; Arnob. 4, 6: Auson. grat. act. § 64; Cael. Aurel. chron. 2, 12. acut. 1, 6, 50. 2, 9, 39. 3, 5, 52; Boeth.; inst. Iust. 1, 22 pr.; Vulg. gen. 41, 4. 2 Macc. 15, 13; cf. gl. Plac. pag. 51, 14 D *habitudine habitu*; Antibarb. pag. 514. Roensch pag. 66. Compares recentium Italorum vocabulum *abitudine* et francogallicum *habitude*. Optimi auctores dicebant *habitus*, velut Cic. inv. I, 24, 35, qua voce Cornificius quoque praeter alteram illam usus est III, 11, 19.

3) *Plenitudo* Corn. IV, 20, 28 *longitudo aut plenitudo harum* (*syllabarum*); Colum. 4, 30, 4; Plin. n. h. 11, 37 (87), 216; Cyprian. de domin. orat. 4 pag. 268, 26 H. id. ep. 63, 4 pag. 704, 9; auct. vit. Cyprian. 10 pag. CI, 2; Veget. r. mil. 3, 1 pag. 63, 18 L. 3, 11 pag. 92, 20; agrimens. pag. 408, 16 Lachm.; Vulg. (saepissime). Altera vox *plenitas* cum apud solum inveniatur Vitruvium, ne ipsa quidem a probatissimis scriptoribus usurpatur, quippe qui prout sensus postularet dixerint *copia crassitudo* similia.

4) *Suavitudo* (probatissimi auctores praeferunt *suavitas*, velut Cic. inv. II, 2, 6. II, 15, 49) Plaut. Stich. 5, 5, 14. id. frgm. ap. Non. 173, 3; Turpil. 110 pag. 99 R (idem dixit *suavitas* vers. 190 pag. 108 R); Corn. III, 12, 22 *res — eaedem — pronuntiationis suavitudini prosunt* (ubi *suavitati* Turic. et Opiz., rell., ut vid., *suavitudini*; paulo post *de suavitate* [1]. item IV, 56, 69); Lactant. 6, 22, 5. Cf. Roensch pag. 69.

[1]) Sed nescio an hoc quoque loco scribendum sit *de suavitudine* (cum Klotzio); quod licet non optimae notae praebeant codices, tamen,

Suffixo *-monia* formatum est substantivum hoc: *Sanctimonia* Corn. IV, 33, 44; Cic. Quinct. 17, 55. 30, 93. Rabir. Post. 10, 30; Tac. ann. 2, 86. 3, 69. 12, 6; Tertull. de pudic. 17; Vulg. psalm. 95, 6. Hebr. 12, 14. Optimi scriptores, cum una sufficeret vox *sanctitas*. tertium quoque eiusdem notionis vocabulum *sanctitudo* ex sermone suo excluserunt, quod quidem legi locis his: Acc. 593 pag. 213 R, id. 646 pag. 219; Turpil. 114 pag. 99; Afran. 326 pag. 206; Claud. Quadr. pag. 205, 5 P (ap. Gell. 17, 2, 19 q. v.); Cic. rep. 4, 8, 8; Capit. Ver. 8; Vulg. psalm. 92, 5. Cf. Gell. 13, 3; Antibarb. pag. 1039; Roensch pag. 68.

Denique addimus *-ia* suffixo formatum substantivum

Reduvia. De huius vocis significatione primaria vid. Fest. pag. 270 M *rediviam quidam, alii reluvium appellant, cum circa unguis cutis se resolvit*; cf. gl. Plac. pag. 78, 19 D. Hanc verbi notionem habes locis his: Titin. com. 132 pag. 152 R; Plin. n. h. 30, 12 (37), 111. 28, 4 (8), 40. 29, 2 (9), 32; Arnob. 1, 51; item Cic. Rosc. Am. 44, 128 *qui cum capiti Sex. Roscii mederi debeam reduviam curem*, ubi proverbium facile agnoscas. Idem fere est quod *reliquiae* apud Solinum 9, 9. 32, 15. Cf. *reduviosus* Laevius ap. Fest. pag. 270 M. Equidem non dubito quin horum verborum usus in vulgari sermone late patuerit. Ceterum cf. L. Lange in Curtii »Stud.« X pag. 250.

§ 3. Substantiva c) neutra.

Unum commemorandum est substantivum in *-ium* suffixum desinens

Matricidium (ἅπαξ εἰρ.) Cic. inv. I, 13, 18 *Orestes si accusetur matricidii* (cf. Corn. I, 16, 26 *Orestes confitetur se occidisse matrem*). — *matricida* saepe legitur, conf. lexicon Georgis, qui praeterea hos locos mihi benigne subministrat: Cic. har. resp. 18, 39; Vulg. 1 Tim. 1, 9.

§ 4.

Haud alienum videtur enumerare ea vocabula (nomina

---

cum uno vel duobus versibus ante legamus *suavitudini*, aptius atque concinnius videtur esse.

verbalia pleraque omnia) in arte rhetorica sollemnia, quae primus e graeca lingua in latinum sermonem transtulerit Cornificius. Qua de re ipse haec exponit (IV, 7, 10): *Nomina rerum Graeca convertimus: ea remota sunt a consuetudine; quae enim res apud nostros non erant, earum rerum nomina non poterant esse usitata; ergo haec asperiora primo videantur necesse est, id quod fiet rei, non nostra difficultate.* Longe maximam partem horum vocabulorum ipse primus finxit Cornificius; si quod iam apud priscos scriptores invenitur, adscripsimus.

Abscisio = *παράλειψις* Corn. IV, 54, 67. *Abusio* = *κατάχρησις* IV, 23, 45. *Adnominatio* = *παρονομασία* IV, 21, 29. *Circuitio* = *περισσολογία περίφρασις* IV, 32, 43: cf. Ter. And. 1, 2, 31 *nil circumitione usus es*. *Commoratio* = *ἐπιμονή* IV, 44, 58. *Commutatio* = *ἀντιμεταβολή* IV, 28, 39: cf. Claud. Quadr. pag. 206, 3 P. *Compar* = *πάρισον παρίσωσις* IV, 20, 27; cf. Pl. Cas. 4, 2, 18. Pseud. 1, 1, 66. 4, 3, 9. *Complexio* = *συμμετοχή κοινότης* IV, 14, 20. *Conduplicatio* = *ἀναδίπλωσις* IV, 28, 38; cf. Pl. Poen. 5, 5, 18. *Conformatio* = *προσωποποιία* IV, 53, 66. *Coniunctio* = *ἐπεζευγμένον* IV, 27, 38. *Contentio* = *ἀντίθεσις* IV, 15, 21. *Conversio* = *ἀντιστροφή ἐπιφορά* IV, 13, 19. *Correctio* = *ἐπανόρθωσις ἐπιδιόρθωσις* IV, 26, 36. *Definitio* = *ὁρισμός* IV, 25, 35. *Deminutio* = *ἐπιείκεια* IV, 38, 50. *Demonstratio* = *ὑποτύπωσις διατύπωσις* IV, 55, 68. *Denominatio* = *μετωνυμία* IV, 32, 43. *Disiunctio* = *διεζευγμένον* IV, 27, 37. *Distributio* = *διαίρεσις μερισμός* IV, 35, 47. *Divisio* = *διλήμματον* IV, 40, 52. *Dubitatio* = *ἀπορία διαπόρησις* IV, 29, 40. *Effictio* = *εἰκονισμός* IV, 49, 63. *Expeditio* = *διαίρεσις* (?) IV, 29, 40. *Expolitio* = *ἐξεργασία* IV, 42, 54. *Frequentatio* = *ἀνακεφαλαίωσις ἀνάμνησις παλιλλογία συναθροισμός* IV, 40, 52. *Gradatio* = *κλῖμαξ* IV, 25, 34. *Intellectio* = *συνεκδοχή* IV, 33, 44. *Licentia* = *παρρησία* IV, 36, 48: est iam apud priscos scriptores. *Mitigatio* = *ἐπιδιόρθωσις* IV, 37, 49. *Nominatio* = *ὀνοματοποιία* IV, 31, 42. *Notatio* = *ἠθοποιία* IV, 50, 63. *Occultatio* = *παράλειψις* IV, 27, 37. *Permissio* = *ἐπιτροπή*

IV, 29, 39. *Permutatio* = *παραβολή* IV, 34, 46. *Praecisio* = *ἀποσιώπησις* IV, 30, 41. *Pronominatio* = *ἀντονομασία* IV, 31, 42. *Ratiocinatio* = *αἰτιολογία* IV, 16, 23. *Repetitio* = *ἀναφορά ἐπιβολή* IV, 13, 19. *Sermocinatio* = *διάλογος* IV, 43, 55. 52, 65. *Significatio* = *ἔμφασις* IV, 53, 67. *Subiectio* = *ὑποφορά* IV, 23, 33. *Superlatio* = *ὑπερβολή* IV, 33, 44; cf. I, 6, 10. *Transgressio* = *ὑπερβατόν* IV, 32, 44. *Traductio* = *διαφορά ἀντίστασις* IV, 14, 20. *Transitio* = *μετάβασις* IV, 26, 35; cf. I, 9, 14. *Translatio* = *μεταφορά* IV, 34, 45.

§ 5. De deminutivis.

Nomina quae vocantur deminutiva quanti momenti fuerint in sermone vulgari, cum inter omnes constet (cf. Woelfflin l. l. pag. 153. Ludwig l. l. pag. 28 sq. Stuenkel l. l. pag. 52 sqq.), tum luculentissimo docet exemplo Cornificius. In quarti enim libri § 11, ubi loquitur de tribus dicendi generibus, tertium ex iis, attenuatum genus, describit his verbis: *Attenuata* (*figura*) *est*, *quae demissa est usque ad usitatissimam puri consuetudinem sermonis*: item § 14 *in attenuatae figurae genere, quod ad infimum et cotidianum sermonem demissum est*: hoc est, ut hodie loqui solemus, quod demissum est ad sermonem vulgarem. In eo igitur exemplo, quod § 14 Cornificius huius generis illustrandi causa affert, cum alia ad sermonem vulgarem referenda adhibeat (velut *risum est ut, ecce tibi*), tum nomini deminutivo *auricula* eandem tribuit significationem, quam nomini primitivo *auris*: ait enim: *cui etiam nunc paedagogi lites ad auriculas versarentur*. Aliis locis Cornificius hoc deminutivum non adhibuit; cf. III, 9, 17. IV, 14, 21. 23, 32. 25, 35. 51, 64. 52, 65. Qui verbi usus cum late pateat, plura proferre exempla non videtur opus esse; cf. Roensch 94.

Exscripsimus praeterea deminutiva haec:

1) *Carbunculus* Corn. IV, 6, 9 *si Prometheus — carbunculos conrogaret*; Apul. met. 7, 19; sensu tralaticio apud Pl. Most. 4, 2, 70[1]).

[1]) Eos locos, ubi *carbunculus* gemmam vel simile aliquid vel morbum significat, consulto omisi.

2) *Lectulus* Corn. IV, 50, 63 *ut — domi lectuli sternantur*: idem apud optimos scriptores legitur, velut Cic. Cat. 1, 4, 9. fin. 2, 30, 97 etc.

3) *Servolus* vocabulum a nomine primitivo ita differre a multis putatur, ut aut parvum aut elegantem aut in malam partem nequam servum significet. Ac possunt quidem hoc modo explicari loci huiusmodi: Cic. Rosc. Am. 49, 141 *ut ad libidinem suam liberti servolique nobilium bona — vexare possent*, ubi interpretari licet = *contempti servi*; Corn. IV, 51, 64 *accedit servolus* et paulo infra *servolus non inurbanus* (ubi *servolus* = *elegans servus*). Sed minime apta est haec interpretatio in huiusmodi locis: Cic. Quinct. 6, 27 *servolum unum — abducit*: hoc enim loco qualis fuerit servus, nec refert quicquam nec disertis verbis additum est. Et revera nullum prorsus inter haec duo vocabula intercedere discrimen planum fit locis his: Plaut. Merc. prol. 107. 108: *Modo eam reliqui ad portum in navi et servolum. Sed quid currentem servom a portu conspicor*, ubi in medio versu dictum est *servom*, in extremo, quia aptam praebebat clausulam iambicam, *servolum*[1]); item Alfen. dig. IX, 2, 52 § 4 *quidam servulum impulit, servus cecidit; — dominus servuli* etc. (cf. Hellmuth act. Erl. I pag. 123).

4) *Testiculi* Corn. III, 20, 33 *testiculos arietinos tenentem*: exempla passim inveniuntur.

Nominibus a nobis allatis illud confirmatur, quod nuper monuit Woelfflinus l. l., deminuendi forma inprimis ea in-

[1]) Moneo apud poetas comicos huius verbi *servolus* formas trisyllabas maximam partem aut in extremo versu legi aut decurtari elisione. In extremo enim versu leguntur locis his: Pl. Stich. 3, 1, 37; Ter. And. 1, 1, 56 *servolos*; Pl. Capt. 4, 2, 100. Cist. 1, 3, 34. Merc. prol. 107; Caec. St. 203 pag. 69 R; Ter. Heaut. 3, 2, 19. Ad. 4, 2, 27 *servolum*; Cas. arg. 4 *servolus*; item Poen. 5, 2, 134 *servolae*. Eliditur syllaba tertia locis his: Pl. Poen. 3, 1, 20 *servoli esse*; Amph. 3, 4, 4 *servolo in*; Ter. Heaut. 1, 2, 17 *servolum ad*; ib. 3, 1, 62 *servolum: etsi*. Obstant Pl. Merc. 171 et Men. 2, 2, 64; quamquam notandum videtur his quoque locis formas *servolo* -*os* certa quadam versus parte esse positas ita ut utroque loco post illas sequatur clausulae iambicae numerus hic: ⏖ — ⏑ —.

strui solere nomina, quae significent aut partem aliquam corporis humani (velut *auricula testiculi*) aut eas res, quae ad communem vitae usum pertineant (velut *carbunculus lectulus servolus*). Quod qua de causa fiat, manifestum est: eodem enim sensu dicta sunt Homericum illud χερσὶ φίλῃσι et similia.

Adiectiva huc referenda sunt haec:

1) *Vetulus* Cic. Quinct. 7, 29 *vetulus gladiator*: cf. Woelfflin l. l. pag. 144 et praecipue Hellmuth act. Erl. I pag. 123.

2) *Celeriuscule* (ἅπαξ εἰρ.) Corn. III, 14, 24 *strenue quod volumus ostendere factum, celeriuscule dicemus*; cf. Priscian. vol. I p. 104, 6 H. Huiusmodi autem comparativi formationes cum paene omnes vulgaris sint sermonis, in Ciceronis epistulis et apud posterioris aevi scriptores saepius inveniuntur.

Adiectiva.

§ 6.

Agamus primum de adiectivis verbalibus (maximam partem vulgaris sermonis propriis: cf. Stinner l. l. p. 11: Lorenz ad Pl. Pseud. 571. 933 et quos citat Koehler act. Erl. I p. 378) in *-bilis* cadentibus:

1) *Commutabilis* Cic. inv. I, 18, 26 bis. Mil. 26, 69. nat. d. 3, 12, 30. Lael. 25, 92. parad. 1, 1, 7. Att. 1, 17, 8: Varr.; Quintil. 4, 1, 71.

2) *Comparabilis* Cic. inv. I, 28, 42. 30, 47. 30, 49. 42, 79. 44, 82; Liv. 39, 52, 7.

3) *Conducibilis* apud Plautum Bacch. 1, 1, 18. Epid. 2, 2, 71. 76. 3, 3, 12. Cist. 1, 1, 80. Trin. 1, 1, 3. 14; cod. Theod. 5, 13, 30. 11, 5, 3; Cael. Aurel. chron. 2, 13, 164 (notione diversa); gradus comparativus est apud Corn. II. 14, 21 *utrum honestius facilius conducibilius*: Sidon. ep. 6, 1; adverbium *conducibiliter* apud August. lib. arbitr. 3, 23 (Paucker, *spicilegium addendorum lexicis latinis* pag. 31). Cf. gloss. Plac. pag. 29, 18 D *conducibile utile συμφέρον*: Antibarb. p. 262; Roensch pag. 114.

4) *Ignorabilis*[1]) Cic. inv. II, 32, 99 *quod — non ignorabile — fuerit*; Apul. met. 11, 22; comparativus *ignorabilius* est apud Gell. 9, 12, 4; adverbium *ignorabiliter* apud Apul. met. 3, 17. Cf. Antibarb pag. 541.

Adiectiva in *-alis* exeuntia memoranda putavi haec duo ad artem rhetoricam spectantia:

1) *Negotialis* Cic. inv. I, 9, 12 *pars negotialis* II, 21, 62; Quintil.; Iul. Val. rhet.; schol. Iuven.

2) *Ratiocinalis* Corn. II, 12, 18 *in causa ratiocinali* (ubi Klotzius *rationali* legit); ceterum cf. gloss. Labb. *ratiocinale* λογικόν; *ratiocinalia* λογικά.

De vocabulis in *-osus, -icius, -aster* cadentibus hoc loco non agam, quippe quae peculiarem flagitent tractationem.

In *-arius* desinens affero adiectivum

Salsamentarius, quod substantivi munere fungitur: Corn. IV, 54, 67 *ut si salsamentarii filio dicas: quiesce tu, cuius pater cubitis emungi solebat*; Suet. vit. Hor.: *Horatius — patre — salsamentario, cum illi quidam in altercatione exprobrasset: Quotiens ego vidi patrem tuum cubito se emungentem?* Apparet ex his duobus locis illud *cubitis se emungere* de salsamentariis quasi proverbialiter dici solitum.

Suffixo *-ius* formatum est adiectivum:

Neptunius[2]) Pl. Mil. 2, 5, 3; Corn. IV, 10, 15 *si prae-*

---

[1]) Plaut. Pseud. 2, 1, 18 cogentibus numeris cum codice Ambrosiano et Festo nunc editur *ignobilis*.

[2]) Hoc verbum inprimis esse sermonis poetici manifestum est. Ipse Cornificius l. l. cum exemplum ponat sufflati generis dicendi, de industria poeticam adhibet vocem; spectat enim illa vox ad ea quae antea nominata sunt vocabula *graviora quam res postulat*.

Adiungimus non ita multa illa ex Cornificii libris, quae quodammodo sermonem poeticum oleant; videntur autem omnia redundasse ex poetis praecipue tragicis, quibus magnam ille impendit operam:

I) *Niveus* Naev. trag. 7 p. 7 R (coni. Buecheler); Corn. IV, 33, 44; Catull. 64, 240; Verg.; Hor. carm.; Tibull.; Ovid.; Sen. trag.; Calpurn.; Valer. Flacc.; Iuven.; Auson.; idem in oratione prosa admisit Sen. N. Q. 2, 36. Cf. Antibarb. p. 755.

II) *Spumans scelus, anhelans crudelitatem* Corn. IV, 55, 68; cf. *scelus anhelantem* Cic. Cat. 2, 1, 1.

ceps in Neptunias depulsus erit lacunas: Cic. Arat. 129. 436; Verg.; Hor. epod. 9, 7: Tibull.; Ovid.; Lucan.: Auson. Cf. etiam Liv. 39, 44, 6: Pseudo-Apul. herb. 57.

In *-ivus* exeunt adiectiva haec, quae ad unum omnia rhetoricae artis sunt propria:

1) *Adsumptivus* Corn. I, 14, 24 etc.: Cic.; Quintil.: rhetor. min. (cf. Halm in edit. p. 630 et 651).

2) *Definitivus* Cic. inv. I, 8, 10 etc.: cod. Iust.: Eccl. (Tertull. [alia significatione]).

3) *Ratiocinativus* Cic. inv. I, 13, 17 (locum spurium censet Kayserus); Quintil. (saepius).

4) *Translativus* Cic. inv. I, 8, 10; Quintil. 3, 6, 46.

Denique cum negandi particula *in* composita sunt adiectiva memorabilia haec:

1) *Immisericors* Acc. trag. 33 pag. 140 R: Cic. inv. II. 36, 108 *ipsum immisericordem — fuisse*; Gell. 14, 4, 3: Vulg. Ierem. 50, 42; adverbium *immisericorditer* legitur apud Ter. Adelph. 4, 5, 29, substantivum *immisericordia* apud Tertull. spect. 20; cf. Antibarb. pag. 549, Roensch pag. 221.

2) *Indiligens* Pl. Bacch. 2, 2, 23. Most. 1, 2, 29. Ter. Adelph. 4, 5, 50; Caes. b. gall. 7, 71, 3; Nep. Att. 4, 3; Plin. n. h. 19, 4 (19) 57; Gell. 15, 28, 1. Adverbium *indiligenter* Pl. Asin. 2, 2, 7. Mil. 1, 1, 28; Ter. Phorm. 5, 3, 5; Cic. inv. II, 3, 11 *non indiligenter expositum est.* Att. 16, 3. 2; Caes. b. gall. 2, 33, 2; Front. princ. hist. p. 202 N; Gell. 4, 12, 1. Substantivum *indiligentia* Plaut. Pers. 4, 4. 9: Cic. Q. fr. 1, 2, 2, 7; Caes. b. gall. 7, 17, 3. b. civ. 3, 8, 3; Plin. 14, 4 (5), 50; Tac. hist. 4, 49; Paul. dig. XXXIX, 4, 9 § 6.

3) *Informis*, quod idem fere est ac *deformis*, apud Cornificium IV, 53, 66 id significat quod omnino forma caret: *cum res muta aut i n f o r m i s fit eloquens et f o r m a ei et oratio a t t r i b u i t u r.*

III) *Tempus* (= pars corporis) singulari numero usurpatum poetici sermonis est: Corn. IV, 55, 68. Cf. quae congessit Neue I² p. 387.

Verba.

§ 7. De verbis incohativis.

Unum affero exemplum:

Nitesco inc. trag. fab. 133 pag. 254 R (quod fragmentum vulgo Ennio tribuitur); Corn. III, 16, 29 *fit ut — praeceptione natura nitescat*; Cic. Arat. 174; Verg.; Plin. mai.; Plin. min. Haec igitur vox cum in aurea litterarum latinarum aetate poetici inprimis sermonis propria esse videatur, ab argenteae demum aetatis scriptoribus in prosam orationem translata est. Cf. quae supra pag. 99 de poeticis apud Cornificium verbis exposuimus. — Saepius legitur verbum compositum *enitesco*: Corn. IV, 44, 57; Sall.; Hor.; Quintil.: Tac.

§ 8. De verbis frequentativis.

Verba quae vocantur frequentativa in sermone cotidiano saepissime usurpata esse cum inter omnes constet, pluribus exponere supersedeo; cf. Woelfflin l. l. pag. 157. Ludwig l. l. pag 31. Stuenkel l. l. pag. 62. Hellmuth act. Erl. I pag. 123 sq. Exempla exscripsi haec:

1) *Adfectare*, quod verbum apud reliquos aureae aetatis scriptores haud ita raro adhibetur, Cicero improbavit; formula enim *adfectare iter*, quae bis apud eum legitur, Rosc. Am. 48, 140 *quam viam munitet, quod iter adfectet*, leg. agr. 1, 2, 5 *quod iter adfectent*, sine dubio priscum comicorum ducit colorem (cf. Hellmuth act. Erl. I pag. 124; Landgraf l. l. pag. 17; Halm ad Cic. Rosc. Am. 48, 140; Seyffert pal. Cic. p. 121 § 16; Antibarb. pag. 105); contra apud Cornificium legimus IV, 22, 30 *similitudo non tam adfectata* (coni. Kayser.; codd. *affectanda*). IV, 26, 36 *cum adfectatius verbum accedat* (coni. Kayser; primae familiae codd. *adfectantis (affectantis)* vel *adfectis (affectis)* praebent).

2) *Examplexari* (ἅπαξ εἰρ.) Corn. IV, 52, 65 *hunc examplexare*. (Idem habet verbum simplex *amplexari* IV, 28, 38).

3) *Reclamito* (ἅπαξ εἰρ.) Cic. Rosc. Am. 22, 63 *reclamitat istius modi suspicionibus ipsa natura*; cf. Woelfflin l. l. p. 143.

4) Saepe adhibuerunt probatissimi scriptores *curso* (velut Cic. Rosc. Am. 22, 60) *concurso* (Rosc. Am. 29, 81) *incurso*

(Corn. IV, 39, 51); rarius duplex frequentativum *cursito* Corn. IV, 3, 4 *quomodo Ladas aut Boeotus Sicyonius cursitarint*, Cic. nat. d. 2, 44, 115 *corpora huc et illuc cursitantia*; idem legi apud Ter. Eun. 2, 2, 47; Hor. sat. 2, 6, 107. carm. 4, 11, 10; Phaedr. app. 2, 8, 10; Quintil. 9, 1, 12; Plin ep. 6, 5, 5; Suet. Tib. 38. Vesp. 8; substantivum *cursitatio* cod. Iust. 11, 73, 3; Solin. 42, 2.

5) *Fugito* Pl. Asin. 2, 4, 78. Capt. 1, 2, 53. 55. 3, 4, 9. 13. Poen. 3, 1, 5; Ter. Eun. 5, 2, 8. Heaut. 3, 1, 25. Phorm. 5, 5, 7. Hec. 5, 2, 10. Adelph. 5, 4, 18; Nov. com. 2 pag. 254 R (*fugitas* ex coni. Merceri; libri *fugit has*); Cic. Rosc. Am. 28, 78 *qui quaestionem fugitant*; Lucr. 1, 658. 4, 322. 1055. 1168. 6, 753. 973. 1236; Valer. Max. 6, 8, 1; Phaedr. 1, 2, 26; Mart. 7, 15, 2; Front.; Lactant.; Auson. epist. 5, 4; Ammian. 15, 9, 5; de participio praesentis *fugitans* cum genetivo coniuncto cf. Charis. I pag. 99, 29. 100, 1 K, Diomed. 311, 28 K, Priscian. vol. II p. 217, 19—22 H, et quos laudat in testimoniis ad Ter. Phorm. 4, 3, 18 Umpfenbachius: cuius rei exempla habes apud Ter. Phorm. 4, 3, 18 *fugitans litium* et complura apud Ambrosium. Cf. Antibarb. p. 490.

6) *Latito* (intensivum a *latendi* verbo derivatum) apud Pl. Trin. 4, 2, 82; Afran. 49 p. 172 R; Cic. Quinct. 17, 54. 19, 60. 23, 75. 27, 84. 28, 86. frgm. orat. Quinct. apud Ulp. l. 59 ad edict. (Kayser vol. XI pag. 1) *latitare est non, ut Cicero definit, turpis occultatio sui*. Ed. praet. apud Cic. Quinct. 19, 60. Cic. Cluent. 13, 39. dom. 31, 83; Lucr. 1, 642. 875. 877. 890; Hirt. b. gall. 8, 31, 5; auct. b. Afr. 91, 1; Hor. carm. 3, 12, 15; Ovid. met. 4, 405. 9, 211. 10, 449. 13, 786. 14, 214. trist. 1, 1, 111. 3, 4, 71; Val. Max. 9, 7, 4; Lucan. 6, 712; Amm. 22, 7, 5; Vulg. (decies). (Cf. Woelfflin l. l. pag. 143). Apparet ex locis maxime Ciceronianis *latitandi* verbum sollemne fuisse in Iurisconsultorum sermone; quem ad usum magis illustrandum cf. Ulp. dig. XLII, 4, 7 § 1 sqq. § 8 *latitare autem est cum tractu aliquo latere, quemadmodum factitare frequenter facere*; Pompon. dig. XXXV, 1, 8; Gai. 3, 78 etc. etc. Substantivum *latitatio* habent Quintil. 7. 2. 47; Ulp. dig. XLII, 4, 7 § 9.

7) *Munito* (ἅπαξ εἰρ.) Cic. Rosc. Am. 48, 140, ubi *munitet* respondet sequenti *affectet*. Locum ex poeta haustum videri supra diximus.

8) *Quaerito* saepe invenitur apud Plautum (cf. indicem Naudeti), Enn., Ter. (And. 1, 1, 48. Eun. 3, 3, 17. Adelph. 1, 2, 1. 3, 2, 23. 3, 3, 9), Pompon. com. 80 pag. 238 R; Corn. IV, 6, 9 *sic ipsi qui venditant, aliunde exemplum quaeritent*. IV, 15, 21 *in pace bellum quaeritas*: Catull. 55, 32; Amm. 29, 1, 35. Cf. Antibarb. pag. 963.

9) *Territo* Pl. Bacch. 4, 8, 44. Cas. 2, 5, 5. Curc. 4, 1, 12. 5, 3, 35. Epid. 4, 1, 4. Most. 3, 1, 80; Ter. And 4, 4, 22; Corn. IV, 20, 28 *audaciter territas, humiliter placas*; Caes. b. gall. 5, 6, 4. 5, 54, 1. 5, 57, 3. 7, 63, 3; Verg. Aen. 4, 187. 11, 351. 12, 262. 852; Liv. 2, 26, 1. 3, 24, 1. 3, 28, 4. 4, 1, 6. 6, 11, 8. 8, 28, 3. 21, 25, 13. 28, 33, 5; Lucan. 5, 225; Valer. Flacc. 2, 656. 5, 260. 6, 323; Stat. Theb. 3, 322; Flor. 2, 15, 4[1]).

§ 9.

Magnificare, quod verbum in prisca latinitate legitur apud Plautum Cist. 1, 1, 18. Men. 2, 3, 19. Pseud. 4, 1, 33. Stich. 1, 2, 44 et Terentium Hec. 2, 2, 18, semel repperi apud Corn. III, 4, 8 *rei dilucide magnificandae causa*; moneo autem haec verba a Kaysero uncis esse inclusa, cum *magnificare* hoc loco non eum quem exspectes praebeat sensum. *Magnificare* postea legitur apud Plin. n. h. 17, 9 (6), 50. 35, 12 (45), 155 etc. et inprimis in scriptis ecclesiasticis; cf. Roensch pag. 177. Antibarb. pag. 679.

[1]) Moneo et apud Plautum et apud Terentium verbi *territare* formas, ex quibus apud eos trisyllabae tantum inveniuntur, constanter positas esse in fine versuum in iambum exeuntium, excepto uno loco Pl. Epid. 4, 1, 4, ubi in versu bacchiaco legitur. Item adnotandum videtur apud epicos poetas, qui iis tantum trisyllabis huius verbi uti poterant formis quae dactylum conficiunt, formas illas suam habere sedem aut in primo aut in quinto versus hexametri pede. Ac primi pedis exempla sunt haec: Verg. Aen. 12, 262; Lucan. 5, 225; Valer. Flacc. 5, 260. 6, 323; Stat. Theb. 3, 322; quinti haec: Verg. Aen. 4, 187. 11, 351. 12, 852; Valer. Flacc. 2, 656.

Epimetrum

emendationum ad Cornificii rhetorica spectantium.

Corn. I, 2, 3. *Memoria est firma animi rerum et verborum et dispositionis perceptio* [1]. Cod. *e* primae familiae habet *rerum ac uerborum* [2], cod. ϱ^1 m. pr. *rerum uerborum*, codd. r c *rerum uerborumque*; item in altero membro codd. t *r* l[1] vo[1] ϱ^2 v omissa particula copulativa praebent *uerborum dispositionis*. Quod igitur codices partim nullam omnino partim alii aliam habent coniungendi particulam, recte concludere videmur ab initio tria illa membra nulla adhibita particula ἀσυνδέτως fuisse composita, particulas autem copulativas (*et ac que*) postea demum esse insertas; quod cur fieret, eo magis causa esse videbatur, quo accuratius genetivus subiectivus *animi* ab iis qui secuntur genetivis obiectivis seiungeretur. Hoc autem modo in Cornificii libris particulas saepe esse additas accurate docet I. Simon, *die Hdss. der Rh. an Her.* p. II. 1864. Accedit quod ἀσύνδετον magis ex natura totius loci videtur esse: cf. quae secuntur: *vocis voltus gestus moderatio*: item *arte imitatione exercitatione*. Scribendum est igitur: *firma animi rerum verborum dispositionis perceptio*.

Simili de causa Corn. II, 1, 2 *ubi de sex partibus orationis primum scribere incepimus*, particula *ubi*, quam soli exhibent codd. *e t* postea addita est, ut artius inter se duae enuntiationes coniungerentur. Restituendum est igitur quod omnes ante Kayserum praebent editiones: *De sex partibus*

[1] Dixerit quispiam: Cur non potius: *rerum et dispositionis et verborum* servato eo quem in iis quae proxime praecedunt voluit esse Cornificius ordine, cum *res* sine dubio pertineant ad inventionem, *verba* ad elocutionem? Sed simili modo conversae enumerationes aliis quoque apud Cornificium locis haud ita raro leguntur: cf. I, 16, 23. 24. *Ea dividitur in necessitudinem fortunam imprudentiam*; tunc primum dicit de necessitudine, deinde de imprudentia, postremo de fortuna; 4, 41, 53 *non sine maxima occultandi et perficiundi spe*, ubi exspectes *perf. et occ.* (vid. Kayserum ad h. l.).

[2] Ex optimae notae codd. h p π, cum sint in initio lacunosi, res diiudicari nequit.

orationis primum scribere incepimus: in primo libro locuti sumus sqq.

Corn. I, 7, 11. *Nunc ne quando vitioso exordio utamur quae vitia vitanda sint docebo: [in] exordienda causa etc.* Cornificius quotiens de se ipso loquitur, paene constanter plurali utitur numero (exempli gratia cf. I, 1, 1. I, 17, 27. II, 1, 1. II, 31, 50. III, 1, 1 et passim), exceptis verbis aliquot communi praeditis sensu, velut *arbitror* I, 9, 16. III, 1, 1 bis, *puto* IV, 52, 65, *scio* III, 23, 38, item *non sum nescius* III, 15, 27 (ubi reliqua quoque quae deinceps leguntur verba singulari efferuntur numero) etc. Quam late autem pateat usus ille apud Cornificium, ex ipsis locis, ubi horum verborum singularem adhibuit numerum, facile perspicitur: fere enim ubique a singulari quam primum ad pluralem transit numerum: cf. I, 9, 16 *adhuc quae dicta sunt a r b i t r o r mihi constare cum ceteris artis scriptoribus, nisi quae de insinuationibus nova e x c o g i t a v i m u s*; III, 1, 1 *in quarto libro scribere m a l u i m u s, quem ut a r b i t r o r tibi librum celeriter absolutum m i t t e m u s*; III, 23, 38 *s c i o plerosque Graecos — fecisse, ut multorum verborum imagines conscriberent; — quorum rationem — i m p r o b a m u s*; III, 15, 27 *sum — susceperim — conatus sim — confisus sum — putabam — voluimus.*

Huic regulae pauci admodum obstant loci: 1) II, 20, 31 *nisi exempla subiecero* (contra IV, 28, 39 *subiecimus exempla*; IV, 37, 49 *exempla subiciemus*); sed hunc locum totum suspectum esse perspexit Kayserus. 2) Alter locus is est quem supra laudavimus I, 7, 11 *docebo*. Quem locum quare totum spurium esse censeamus quoniam causa est nulla, *docebo* mutandum videtur in *docebimus*, cum praesertim *docebimus* scripserit Cornificius I, 2, 2. Sed ex codicibus quoque illud in archetypo quondam fuisse scriptum haud iniuria suspicari nobis videmur: praebent enim hoc loco primae familiae codd. hep[1]πk *docebo: exordienda*, cod. b tert. fam. (m. pr.) *docebis*, rell. *docebo: in exordienda* (quod in peculiari Cornificii editione Kayserus quondam dederat). Videntur igitur in codice archetypo scripta fuisse fere haec: *doceb(imus)* [vel *doce-*

b(im')] *exordienda*, sed ita ut incerta *imus* [vel *im'*] litterarum vestigia superessent. Huiusmodi autem lacunis non raro aliquot litteras haustas esse in codice archetypo docet Simon, l. l. I pag. 7 sq. Itaque alterius codicis ex ipso archetypo descripti librarius[1] lacunam, quae erat in archetypo, in suum quoque librum transtulit addita una quae ad explendum sensum necessaria videretur littera *o*; contra alterius eiusmodi codicis librarius lacunam explere studebat additis litteris *o in*, quam vocem perspexisse sibi videbatur ex *im(us)*. Similiter quam cod. b pr. m. praebet, lectio *docebis* explicari posse videtur (cf. quae de cod. b adnotavit Kayser pag. XXVII, 24). Legendum est igitur loco illo: *docebimus: exordienda etc.*

Corn. I, 10, 17. *Primum enim re narrata debemus aperire etc.* *Re narrata* scripsit Kayserus maxime secutus codicis n lectionem *per narrata* (*re narrata* dixit Cornificius III, 10, 18). Reliquorum codicum lectiones hae sunt: *per narrationem* prim. fam., f m. pr.; *per narratione* (erasa littera) a^1; *post narrationem* f m. sec., rl^3v; *narrationem* t, *perorata narratione* a^2, t m. s., c o, tert. fam. Hinc equidem maxime secutus codicis a^1 lectionem *per narratione* concludo in codice archetypo scripta fuisse haec: *per* . . . . . *narratione* i. e. praecedebat vocem *narratione* ablativus participii verbi alicuius cum *per* praepositione compositi et in ipso codice archetypo foede mutilati. Inde primae familiae codd., ut solent (cf. quae supra ad I, 7, 11 disputavimus), lacunam integram exhibuerunt addita una quae necessaria videretur littera *m* post *narratione*; contra secundae et tertiae familiae codd. librarii, ut sensui sufficerent, alii aliud moliti sunt: scripserunt enim partim *post narrationem* mutato *per* in *post*, partim cum lacunam explere conarentur, *perorata narratione*, quod non satis quadrare ad sensum manifestum est. Contra verba *per narrationem* vel, quod in deterioribus libris legitur, *perorata narratione* delenda esse censet Petrus Langen in Philologi vol. XXXVI pag. 583.

Cum vero alio loco III, 7, 13 Cornificius eodem sensu

---

[1]) De his rebus cf. Simon, l. l. I pag. 7 sqq.

dixerit *principio tractato*, equidem suspicor fuisse *pertractata narratione*. Altera tamen praeterea patet via emendandi: Sane vere Cornificianum est *persolvere* (fere = *absolvere*) II, 31, 50 *nos alacriores ad reliquum persolvendum*; III, 1, 1 *ut omnis inveniundi praeceptio tibi quam primum persolveretur* (eodem sensu paulo infra dixit *quem — tibi librum celeriter absolutum mittemus*); IV, 1, 1 *tibi id quod reliquum est artis — persolvemus*. Scribas igitur non minus probabiliter: *persoluta narratione*.

Corn. I, 10, 17. *Enumeratione utemur cum dicemus numero res* (si modo recte hoc restituimus) *quot de rebus dicturi sumus; eam plus quam trium partium numero non oportet esse.* Displicet illud *numero* brevi intervallo bis positum. Ac priore quidem loco *numero* cum suam habeat significationem, altero loco post *trium partium* plane est supervacaneum, ut interpretandi causa super verba *trium partium* superscriptum esse[1]) videatur. Deleto igitur altero *numero* legendum conicio: *eam plus quam trium partium non oportet esse.*

Corn. II, 16, 23. *Purgatio est cum consulto a nobis factum negamus. ea dividitur in necessitudinem fortunam imprudentiam . . . primum considerandum est num culpa ventum sit in necessitudinem etc.* Supposita esse ea quae antecedunt ultimam enuntiationem verba *de his partibus etc.* recte perspexit Kayserus, sed qua de causa hoc potissimum loco interposita sint non intellexit. Deerat enim ea quam nus-

---

[1]) Ut apud Cornificium, ita apud Ciceronem quoque in libris de inventione multa glossemata Kayserus e textu eiecit. Huiusmodi additamentum nobis investigasse videmur loco hoc: inv. I, 49, 92 *ut si qui Ulixen accuset, in hoc maxime commoretur, indignum esse ab homine ignavissimo virum fortissimum Aiacem necatum.* Languere mihi videtur vox *Aiacem*. Pervulgatum enim erat apud rhetores hoc exemplum ab Ulixe et Aiace petitum (cf. Corn. II, 19, 29 ubi eodem modo Aiax dicitur *vir fortissimus*), qua de causa Ciceroni minime opus erat ipsum Aiacis nomen addere. Accedit quod deleto vocabulo *Aiacem* habemus membra duo ex binis vocibus constantia et chiasto quem Graeci vocant ordine sibi respondentia. *Aiacem* ortum est ex glossemate supra verba *virum fortissimum* interpretandi causa superscripto.

quam omisit Cornificius dicendi formula, qua transiretur a tribus purgationis partibus generaliter dictis ad primam i. e. necessitudinem proprie tractandam. Itaque interciderunt verba fere haec: *Cum in necessitudinem causa conferetur*, vel alia eiusmodi. Haec igitur verba postquam evanuerunt, quae erat lacuna in ipso codice archetypo falso expleta est. — Alibi quoque apud Cornificium eiusmodi transitionis formulae interciderunt: II, 13, 20 in fine; IV, 13, 18 in fine.

Corn. II, 16, 23. *Primum considerandum est, num culpa ventum sit in necessitudinem; deinde quaerendum, ecquo modo vis illa vitari potuerit ac levari.* Eodem actu vis aliqua nequit simul et vitari et levari: aut enim vitatur, ut cum vitatio comprehendat in se levationem, levando non sit opus, aut levatur neque igitur vitatur. Itaque scribendum est *vitari potuerit aut levari*: *aut* enim hoc loco, ut saepe, significat *aut certe, aut saltem*. Simili modo *aut* et *ac* confusa sunt in codicibus II, 1, 2 (in fine) *aut partes*, ubi *ac* p. μ^2, 2, r v.

Corn. II, 18, 28 *ratio est quae causam demonstrat veram esse in quam intendimus*. Codicum lectiones hae sunt: *est quae causam* hp¹π, *est quae causa* p²μ^1, *causa est que* μ^2, *est causa quae* rell.; *ueram esse in quam* π, *uerum esse in quod* p², *uerum esse id quod* rell. Verbum *causa* cum in codicibus partim nominativo partim accusativo prolatum sit casu, et partim in enuntiatione relativa partim ante eam legatur, videtur esse glossema vocabuli *ratio* interpretandi causa superscriptum. Quod si recte suspicamur, simul altera adsciscenda est lectio, quam plerique codices (hp¹) exhibent *uerum esse id quod*. Neque enim respicienda esse ea quae in codice p² legimus *uerum esse in quod intendimus*, ex ipso Cornificii dicendi usu cognoscitur, qui ex *intendendi* verbo constanter pendere velit accusativum: II, 28, 45 *intendere controversiam*; IV, 27, 37 *intendisse orationem*; IV, 29, 40 (*ratio*) *una relinquitur, quam nos intendimus*. Restituendus igitur totus locus est hunc in modum: *ratio est quae demonstrat verum esse id quod intendimus*.

Corn. II, 28, 45. *Ut si, cum comparetur, utrum satius*

sit populum frumentum accipere an non accipere, quae incommoda sunt in altera re, severe curet enumerare. Sic Kayserus in Corn. ed. peculiari, idem pro *severe* in appendice eiusdem editionis proponit *vere*; in novissima Cornificii editione secutus secundae et tertiae familiae codices dedit *in altera re, curet enumerare*. Atque optimorum codicum lectiones hae sunt: *altera seuera curet enumeret* hep¹, πk¹ (nisi quod k¹ *reuera*), *alteram rem uera curet enumeret* k², *altera re uera curet enumerare* μ. Primum igitur quod codd. hep¹π praebent *altera se* . . . id falso scriptum esse videtur pro *altera re*, quod rell. omnes praebent codd.; in scriptura enim quam vocant Langobardica facillime litteras *s* et *r* inter se commutari constat (cf. e. g. Spengel Rh. M. XVI pag. 413). Deinde ab optimorum codicum lectione *seuera curet enumeret* progrediendum est, non cum Kaysero ad deteriorum codicum fidem scribendum *curet enumerare*; immo corruptum videtur *curet*. Scripserim *a(c)curat(e)*, quod adverbium optime ad totius pronuntiati sensum quadrat. In iis autem quae restant tribus litteris *uer* latere videtur, quod iam Kayserus perspexit, adverbium *vere*, ut addita particula copulativa vel *et* vel potius *atque*, quae ante *accurate* facile intercidere potuit, totius loci lectio haec fere sit: *quae commoda sunt in altera re, ver(e atque) a(c)curat(e) enumeret*. Respondent autem haec duo adverbia iis quae secuntur duobus membris *aut — aut*. Error inde videtur ortus esse, quod in codice archetypo aliquot litterae interciderant hoc fere modo:

ALTERAREVER . . . . . A . CVR(A)T . ENVMERET

Simili ratione in loco ex quarto libro deprompto aliquot litterae interciderunt: IV, 18, 25 *nam quem in amicitia perfidiosum cognoveris, eum qua re putes inimicitias cum fide tenere posse?* In codicibus cum legantur haec: *cum fide reposse* p¹f, *cum fide reposcere* p², *confidere posse* h, *cum fide tenere posse* gr¹, ¹ox, φ, *cum fide retinere posse* e o, *cum fide habere posse* rell. (μ^2acp³), vix est dubium quin in codice archetypo scripta fuerint haec: CVMFIDE . . . . REPOSSE, ita ut inter *fide* et *re* lacuna esset quattuor littera-

rum. Haec sicut invenerant accurate tradiderunt codd. $p^1 f$, paulum mutata p^2 et *h*: ceteri codices pro sua consuetudine explere studebant lacunam scribendo partim *tene-re* partim *habe-re* (in lectione *retinere* quod supererat *re* bis positum est). Ad explendam lacunam equidem propono: *inimicitias cum fide gerere posse*; cf. III, 7, 14 *inimicitiis gerundis*, paulo post *qua fide benevolentia officio gesserit amicitias*.

Corn. III, 8, 15 *nunc absoluta a nobis difficillima parte rhetoricae — tempus est ad ceteras partes proficisci*. In codicibus haec invenimus: *partes* h^1, *partes orationis* $h^2 e \pi k a n l^2 v o^1 c \varrho^2 \delta \varphi$ et Lamb., *artis partes* v, *partes rhetoricae* dl^{14} etc. etc. Intercidit igitur in codice archetypo verbum aliquod post *partes*, quam lacunam alii alio modo explere conantur codices. Nec minus manifestum est quid interciderit, cum cod. v, nisi quod ordinem neglexit, veram lectionem exhibeat: scribendum enim est: *ad ceteras partes artis proficisci*; *artis* autem post *partes* facillime omitti potuit. Item Cornificius IV, 5, 8 dicit *omnes artis partes*, fortasse etiam II, 1, 1 cum Klotzio restituendum est *partibus artis*; cf. III. 1, 1 *partes artifici*.

Corn. IV, 1, 1. *Quoniam in hoc libro, Herenni, de elocutione scripsimus etc.* Sic Kayserus ex uno *h*; sed acquiescendum est in reliquorum codicum lectione *conscripsimus*, quam omnes ante Kayserum receperunt editores. Facile enim intercidit *con* praepositio in cod. *h*, praesertim post *elocutione* (cf. Corn. III, 5, 8 *conlocarit* codd. fere omnes praeter *h*, *locarit* cod. *h* praecedente *non* particula). Similiter locutus est Cornificius I, 1, 1 *ut de ratione dicendi conscriberemus*; cf. III, 1, 1 et Catull. 68, 2 et quae supra p. 10—12 diximus.

Corn. IV, 2, 3 *hoc igitur ipsum maximum artificium est in arte sua posse et alienis exemplis uti*. Huiusmodi ἀνακεφαλαιώσεις in fine explicationum positas cum multas vel iure vel iniuria spurias censeat Kayserus, non item censet hanc, quamquam videtur tollenda his de causis: Eadem fere verba, a quibus haec enuntiatio incipit, in ipso eiusdem paragraphi initio legimus: *hoc ipsum summum est artificium*, ex quibus verbis illa paene descripta esse videntur. Accedit quod Cornificius non *maximum artificium*, sed *summum artificium* dicere solet: cf. exemplum quod supra laudavi, praeterea IV, 2, 3 med. *sine summo artificio*, IV, 4, 6 fin.; item IV, 2, 3 fin. *summus artifex*. Postremo *et* illud pro *etiam* positum ipsi Kaysero suspectum visum est.

Corn. IV, 9, 13 *in mediocri figura versabitur oratio, si hanc, ut ante dixi, aliquantum demiserimus*. Neglecta ea quam optimi et paene omnes lectionem habent codices *aliquantulum* Kayserus *aliquantum* recepit ex uno *o*; nam quod *h* praebet *aliquantum tunc* et ipsum ortum esse videtur ex *aliquantulum*. Deminuendi autem vim in eiusmodi vocibus multum esse debilitatam apud Cornificium supra diximus, ut idem significet hoc loco *aliquantulum* quod apud nos *etwas, zum teil*. Cf. Cic. Lael. 12, 40 *deflexit iam aliquantulum de spatio curriculoque consuetudo maiorum*.

Corn. IV, 16, 23. *Maiores nostri si quam unius peccati mulierem damnabant, simplici iudicio multorum maleficiorum convictam putabant. Quo pacto? quam impudicam iudicarant, eam veneficii quoque damnatam existimabant.* Exempla ponit Cornificius *ratiocinationis, per quam*, ut ipse dicit, *ipsi a nobis rationem poscimus qua re quidque dicamus*. Per duo autem quae ponit exempla eam observat rationem, ut postquam particula aliqua interrogativa (*quid ita, cur, quare*) causam a semet ipso poposcit, sequatur illa praecedente particula *quia*; cf. pag. 148, 5 K *quid ita? quia*; 148, 10 *cur? quia*; 148, 14 *qua re? quia*; pag. 149, 2. 6. 9. 13 sq.; item IV, 37, 49 pag. 183, 9 sq. K. Desideratur haec particula uno loco pag. 148, 4 *quo pacto? quam inpudicam etc.* (ita $h \pi \mu^2$, 2, $l^3 v o^3$; rell.: *quo pacto? quoniam quam*). Equidem hoc quoque loco scribendum esse censeo: *quo pacto? quia quam etc.* (cf. lectionem codicis ϱ^1: *quo pacto quia qui*). Facile enim in codice archetypo *quia* intercidit ante *quam*. Tum lacuna, non secus atque saepe alibi, a primae et secundae familiae librariis integra tradita, a reliquis falso suppleta est.

Corn. IV, 29, 39. *Imponite in me quidlibet, quidlibet*

statuite. Miror qua de causa Kayserus eam, quam optimi praebent codices, lectionem aspernatus sit: *impunite in me quidlibet statuite* (*impunite* enim exhibent primae familiae codices omnes, de sec. fam. Frising., Pal. 4. 6, Bruil., de tert. fam. Voss. 1, de codd. mixt. orig. Lugd. 1 m. pr., Rhedig. 1. 2; rell. partim *imponite* partim *impune*, utrumque ex *impunite* corruptum). Adverbium autem *impunite* (= *impune*) quamquam rarum est, invenitur tamen apud Cic. fin. 2, 18, 59: Matium ap. Cic. fam. 11, 28, 3: Ennod. vit. S. Epiphan.[1]) Optime autem referri videtur illud *impunite* ad id quod praecedit *vos me — abutamini licebit*. Quodsi *impunite* scribitur, non opus est bis ponere *quidlibet*, cuius lectionis in uno cod. Voss. 3, qui praebeat *quisquid quilibet* nimis incertum exstat vestigium.

Corn. IV, 33, 44. *Intellectio est, cum res tota parva de parte cognoscitur aut de toto pars.* Qua de causa pars ea, unde totum cognoscitur, parva esse debeat, equidem non intellego, cum utrum magna an parva sit, dummodo sit pars, nihil interesse videatur: languet igitur vox *parva*. Accedit quod duobus versibus post, ubi rei illustrandae causa exemplum affertur, legitur *de parte totum sic intellegitur* omissa voce *parva*. Itaque mihi quidem delendum videtur *parua*, quippe quod ortum sit ex duplici scriptione verbi *parte*.

Corn. IV, 40, 52. *Inter hanc divisionem et illam, quae de partibus orationis tertia est, hoc interest: illa dividit per enumerationem aut per expositionem, quibus de rebus in tota oratione disputatio futura sit etc.* Exponit igitur hoc loco Cornificius, quae differentia intercedat inter divisionem eam, quae sit pars aliqua totius orationis, et illam, quae cum sit figura dicendi hic et illic orationi sit inspersa. Dicit autem de priore divisionis genere: *illa dividit per enumerationem aut per expositionem*, h. e. si quibus de rebus sumus dicturi, eas aut enumerabimus aut quales sint exponemus. Quod omnino falsum esse plane cognoscitur ex libro I. 10, 17,

[1]) Plautus constanter dicit *inpune*, nusquam *inpunite*.

ubi loquitur Cornificius de priore illa divisione: *ea dividitur in duas partis: enumerationem et expositionem. enumeratione utemur, cum dicemus numero ⟨res⟩, quot de rebus dicturi sumus; — expositio est, cum res, quibus de rebus dicturi sumus, exponimus*, h. e. primum quot de rebus dicturi simus, deinde quae sint eae res exponemus. Exemplum vide apud Cic. Rosc. Am. 13, 35 *tres sunt res etc.* (*enumeratio*), *crimen — audacia — potentia* (*expositio*). Scribendum est igitur: *per enumerationem ac per expositionem*; nam *aut* et *ac* in codicibus saepe confundi supra vidimus ad Corn. II, 16, 23. Ceterum IV, 40, 52 *divisio* idem significat quod I, 10, 17 *distributio* quae pars est *divisionis*.

Corn. IV, 47, 60 *cum magnam populo commoverit his rebus exspectationem*; ubi fere *commorit iis rebus* p, *cum noriticis rebus* h, *comitiis rebus* π. Restituenda est lectio codicis *p* iam ab Orellio probata mutata una littera: *conmorit iis rebus*. Testimonio est cod. *h*, cuius lectio *cum norit* inde videtur esse orta, quod primus litterae *m* tractus falso coniunctus est cum praecedente *n*; item *iis* paulo propius ad codicum lectiones accedit quam *his*.

Addenda et Corrigenda.

pag. 13 ad *consimilis* adde: Auson. epist. 23, 27.

Poteram vel potius debebam praeterea agere de abundanti locutione *saepenumero*, de structura *recens audirimus* (Corn. III, 22, 35) ab eo usu discrepante secundum quem *recens* (= *recenter*) cum solo participio perfecti passivi coniungitur, de figura etymologica *extinguere extinctos* (Corn. IV, 52, 65), similibus quae mihi benigne significavit Woelfflinus; sed quid de his formulis statuerint ceteri scriptores, quorum comparatione opus est, nondum satis accurate quaesivi.

pag. 43 sub finem adde Front. p. 89, 3 N.

Lipsiae, typis Breitkopfii et Haertelii.

MAR 2 1920

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES

This book is due on the date indicated below, or at the expiration of a definite period after the date of borrowing, as provided by the library rules or by special arrangement with the Librarian in charge.

DATE BORROWED	DATE DUE	DATE BORROWED	DATE DUE
	NOV 2 3 '48		
	JAN 1 2 1949		
SEP	5 1985		
INTERLIBRARY LOAN			
	MAR 25 1987		

C28 (747) M100

12374431
COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
0112374431
BUTLER STACKS